

AB

5

37 K, 7



~~Do 17~~


Do 17

B. o. 417.












FESTI RVFI  
VIRI CONSV-  
LARIS, AD VALENTI-  
NIANVM AVGVSTVM  
de Historia Romano-  
rum libellus:

Henricus Meibomius Iuliæ  
Academiæ Professor recensuit, &  
notis illustravit.



*Joannes Werthoff*



HELMÆSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius. Anno  
CIO IO XXCIIX.



IOANNES BODINVS  
I C. ET HISTORICVS,  
Gallus, cap. 2. Method. histo.

**S**I quis Romanorum hi-  
storias planè intellige-  
re, ac memoriæ man-  
dare velit, prius FESTVM RV-  
FVM legat, qui quatuor pagi-  
nis totam historiam complexus  
est: Hinc ad Flori Epitomen:  
Deinde ad Eutropium:  
post ad Liuium & Po-  
lybium acce-  
dat, &c.



NO-

AB 37/5, 4, 7



S  
NOBILITATE  
GENERIS, DOCTRINAE  
ERUDITIONE ET VIR-

tute ornatiss. viro, Iohanni à Benekendorff in VVardien, amico & fau-  
tori suo obseruando

S. D.



*Um in vsum scholæ nostræ recudendus esset Festus Rufus, nobilissime Benekendorfi, placuit eum recensere & ita mendis aliquot liberatum tibi inscribere. Noui enim quanto non Iurisprudentiæ solum, sed & historiæ cognoscendæ desiderio flagres. Qua in re præstantissimos quosq; Iurisconsultos æmularis, qui vtrumq; studium simul excolendum semper existimarunt. Exemplâ adducere superuacaneum iudico: nam & nostrum et superius æuum innumera suppeditare potest. Vti verò hac epitome poteris ea ratione, qua occupatissimi imperatoris vsui ac-*

A 2

commo-



commodata est: poterunt & tecum illustris-  
simi principes, generosi comites, & nobiles  
adolescentes, quos Academia nostra opti-  
mis artibus imbuunt, quibus etiam hoc nomine  
futuram existimo gratiorem, quia tibi nun-  
cupata est. Tu munusculum hoc, quanquam  
leuidense, boni consules, & quod facis nostro  
ordini, nostrisque operis impensè favere nun-  
quam desines. Vale è Musæo Idibus Ianua-  
rij anno 1588.

M. Henricus Meibomius  
acad. Iuliæ Professor  
publicus.



A D



## AD LECTOREM.

**M**onendum hoc loco duxi, non temere Rufo à me Festi prænomen attributum, cum hætenus à recentioribus Sextus appellatus sit: sed adductus, vt id facerem, sum autoritate hominum non contemnendorum. Nam primò sic nominatur à Thoma Valois Anglo, Theologo & familiæ Dominicanæ monacho, qui in decem priores libros Augustini de ciuitate Dei luculentū scripsit commentarium, quem in Germania ante annos centum & decem Basileæ in lucem æditum constat, ibi ad quinti libri primum caput Festi nostri liber de provincijs Romani imperij citatur. Deinde mouit me Raphaelis Volaterrani locus, qui Antropologiæ lib. 19. Sic scribit: *Festus Rufus scripsit epitomen rerum Romanarum quæ extat: nonnulli Sextum malè scribunt, nam & Festi Rufi alterius, qui fuit Græciæ proconsul legitur adhuc Athenis memoria inscripta ad columnam in arce Palladis quod in Geographia posuimus Hæc ille.* Facile autem indoctus librarius ex Festo Sextum fecit, cum alia magis exscribendo deprauarit. Si quid coniecturis tribuendum erit, addo & hoc, Rufum nostrum eum esse, qui anno Christi 314. cum Anniano, sub Constantino Magno consulatū gessit, & Rufus Volusianus appellatur: erit igitur integrum nomen Festus Rufus Volusianus,



nec moror, quod quidam ibi Rufinus deprauatè  
legunt. Ab illo anno vsq; ad Imperium Valenti-  
niani primi Augusti, anni sunt 5 l. fuit igitur, vt  
de se sub finem compendij testatur, æuo grauior:  
consulatum enim petere non potuit, nisi iu-  
stæ ætatis fuisset. Epigraphas alicubi interposi-  
tas sustuli: apparet enim ab homine imperito im-  
peritè adfixas, nèc ad rem facere. Restat vt de  
titulo moneam, eum reliqui vt vulgò habetur:  
alioqui à Camerte in Solinum nominatur liber  
de tribus imperandi generibus, regio, consula-  
ri & imperatorio: Thomas Valois nominat li-  
brum de prouincijs Imperij Romani: Rectissime  
omnium epitome vel compendium historiæ Ro-  
manæ indigitatur, in eo enim totus est, vt illius  
imperij augustissimi primordia, incrementum &  
prouincias describat. Hæc in vestibulo monere  
lectorem placuit: boni bene merenti benignè fa-  
ueant, imperitos tantum curo, quan-  
tum aut numerum lupus  
aut torrentia flumi-  
na ripas.



FESTI



FESTI RVFI VIRI CON-  
SVLARIS AD VALENTINI-  
anum Augustum, de Histo-  
ria Romanorum libellus.

**B**Reuem fieri clementia tua li-  
bellum præcipit; parebo libens.  
Quippe cum desit facultas lati-  
ùs eloquendi, morem secutus  
calculatorum, qui ingentes summas ære  
breuiori exprimunt, res gestas signabo,  
non eloquar. Accipe ergo quò breuiter di-  
cta breuius computentur, vt annosam ve-  
tustatem Recipu. legendo detineamus, ac  
præteriti facta temporis, non tam legere,  
glorioso princeps, quàm numerare, videa-  
ris.

Ab vrbe igitur condita in ortum per-  
ennitatis vestræ, quo prosperius imperi-  
um Romanum fortitus es, anni numeran-  
tur sic: Sub Regibus CCXLIII, sub Con-  
sulibus CCCCLXVII, sub Imperatori-  
bus CCCCVII.

Regnauerunt Romæ per annos CCX-  
LIII. reges numero septem. Romulus reg-

A 4

nauit



navit per annos XXXVII. Senatores per quinos dies, annum vnum. Numa Pompilius regnavit annos XLIII. Tullus Hostilius regnavit annis XXXII. Ancus Marcius regnavit annis XXIV. Tarquinius Priscus regnavit XXXIIX. Servius Tullius regnavit annis XXXIV. Tarquinius Superbus expulsus est regno, anno XXXV.

Consules fuerunt à Iunio Bruto & Publicola in Pansam & Hirtium numero IC CCCLXXVII. præter eos qui in eodem anno sorte aliqua sunt subrogati per annos CCCCLXXVII.

Quadraginta quinque annis Romæ consules defuerunt: sub Decemviris duobus: sub Tribunis militum, annis XLIII. Sine magistratibus Roma fuit annis IV.

Imperatores ab Octaviano Cæsare Augusto usque in Iouianum fuerunt numero XLIII per annos CDVII.

Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc est, Regio, Consulari & Imperatorio, quantum Roma profecerit, breuiter intimabo.

Sub



## HISTORIA.

Sub regibus septem, per annos CCXLIII. non amplius, quàm vsq; portum atque Ostiam XIIIX. miliarium à portis vrbis Romæ, vtpote adhuc parvæ & à pastoribus conditæ, cum finitimæ circum ciuitates premerent, Romanū processit imperium.

Sub Coss. inter quos & nonnumquam Dictatores fuerunt, per annos simul CDXLVII. vsque trans Padum Italia occupata est; Africa subacta; Hispaniæ accesserunt; Galliæ & Britannia tributariæ factæ sunt. Inde Illyricum, Istri, Liburni, Dalmatæ domiti sunt: Ad Achaïam transitum est: Macedones subacti, cum Dardanis, cum Mæsis & Tracibus bellatum est. In Asia, expulso Antiocho, primum pedē posuerunt Romani. Mithradate victo Ponti regnum occupatum est, & Armenia minor, quā idē tenuerat, armis obtenta est. In Mesopotamiā Romanus exercitus peruénit. Cū Parthis foedus initum est: Contra Corduenos ac Sarracenos & Arabes bellatum est. Iudæa omnis victa est. Cilicia & Syria in potestaté populi Romani venerunt. Aegypti reges foederati sunt.

A 5

Sub



Sub Imperatoribus per annos quadringentos & septem, quum diuersa Reip. fortuna multi principes imperarent, accesserunt tamen Romano orbi Alpes maritimæ, Alpes Cotticæ, Rheticæ, Noricæ, Pannoniæ, Mœsiæ & omnis ora Danubij: in prouinciã est redacta Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus, cum Mesopotamia, Asia, Arabia & Aegypto sub imperij Romani iura transiuit.

Quo autem ordine singulas prouincias Romana Resp. est adsecuta ostenditur ita infra.

Prima prouinciarum facta est Sicilia. Eã victo Hierone Siculorum rege, Marcellus Cos. obtinuit: deinde à prætoribus recta est: Postea est commissa præsidibus: nunc à consularibus administratur.

Sardiniam & Corsicam Metellus vicit: triumphauit de Sardis, qui rebellaue re sæpe. Iuncta administratio harum insularum fuerat: post suos prætores habuit, nunc singulæ à suis præsidibus reguntur.

In Africam pro defensione Siculorum  
Roma-



## HISTORIA.

Romana transmissa sunt signa. Ter Africa rebellauit: ad extremum deleta per P. Scipionem, Carthago prouincia facta est: nunc sub Consularibus agit.

Numidia ab amicis regib' tenebatur, sed Iugurthæ, ob necatos Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ regis filios, bellum indictum est: & eo per Metellum Cos. attrito, per Marium capto, in potestatem populi Rom. Numidia peruenit.

Mauritaniæ à Boccho rege obtentæ sunt: sed subacta omni Africa, Mauros Iuba rex tenebat, qui in caussa belli ciuilis à Iulio Cæsare victus, mortem sibi propria voluntate consciuit: ita Mauritaniæ nostræ esse cæperunt, ac per omnem Africam sex prouinciæ factæ sunt: ipsa ubi Carthago est proconsularis, Numidia consularis, Tripolis & Mauritaniæ duæ, hoc est: Sitifensis & Cæsariensis sunt præsidiales.

Hispanis primùm auxilium aduerso Afros per Scipiones tulimus rebellantes tot annos. Hispaniam per D. Brutum obtinuimus, & vsq; Gades ad Oceanum mare peruenimus.



uenimus. Pòst ad Hispanos tumultuantes  
D. Iunius Silanus cum exercitu missus eos  
vicit. Celtiberi cum Hispania sæpe rebel-  
labant, misso minore Scipione cum Nu-  
mantia subacti sunt.

Omnes penè Hispaniæ occasione bel-  
li Sertoriani per Metellum & Pompe-  
ium in deditionem acceptæ sunt: postea  
prorogato in quinquenniū imperio, à Pom-  
peio perdomitæ sunt. Ad extremum quo-  
que ab Octauio Cæsare Augusto Cantabri  
Astures, qui freti montibus resistebant, de-  
leti sunt.

Per omneis Hispanias sex nunc sunt  
prouinciæ, Tarraconensis, Carthaginien-  
sis, Lusitania, Callæcia, Bætica, Transfre-  
tana etiam insula terræ Africanæ prouin-  
cia est Hispaniarum, quæ Tingitana co-  
gnominatur. Ex his Bætica & Lusitania  
consulares, cæteræ præsidiales sunt.

Cum Gallis P. R. grauissima bella ha-  
buit. Galli etiam illam partem Italiæ, vbi  
nunc Mediolanum est, vsq; ad Rubico-  
nem tenebant fluuium, in tantum viribus  
freti,



## HISTORIA.

freti, ut Romam ipsam bello peterent, & caesis exercitibus Romanis apud Alliam fluvium mœnia urbis intrarent, Capitolium obsiderent: ad cuius arcem sexcenti nobilissimi Senatores confugerant, qui mille auri pondo se obsidione redemerunt. Postea Gallos cum victoria remeantes Camillus, qui in exilio erat, collecta de agris multitudine oppressit, aurum & signa, quæ Galli ceperant, reportavit.

Cum Gallis multi Consules, Prætores & Dictatores euentu vario conflixerunt.

Marius Gallos de Italia expulit & transcensis Alpibus feliciter aduersus eos pugnavit.

Cæterum C. Cæsar cum decem legionibus, quæ quaterna millia militum Italorum habuerant, Galliam subegit: Cum Gallis ultra Rhenum positis conflixit: per annos octo ab Alpibus ad Gallias usque in Britanniam transiit. Decimo anno Britannias & Gallias tributarias fecit.

Sunt Galliæ cum Aquitania & Britannijs provinciæ decem & octo: Alpes maritimæ,



timæ, Prouinciæ, Narbonensis Viennensis, Nouempopulana, Aquitanix duæ, Alpes Graia, Maxima Sequanorum, Germanix duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ: in Britannia Maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda, Flauia.

In Illiricum ab ora maritima paullatim regressi sumus.

Leuinus Cos. Adriaticum atque Ionicum mare primus ingressus maritimas obtinuit ciuitates.

Creta per Metellum Cos. qui Creticus dicitur, prouincia facta est. Græcis in fidem nostram confugientibus, ad Achaïam accessimus. Athenienses aduersus Philippum Macedoniæ regem auxilium nostrum petierunt.

Libera diu sub amicitijs nostris Achaia fuit: ad postremum, legatis Rom. apud Corinthum violatis, per L. Mummius, Cos. capta Corintho Achaia omnis obtenta est.

Epirotæ, qui aliquando cum rege Pyrrho



HISTORIA.

rho etiam ad Italiam transire præsumserant, victi, atque Thessali simul cum Achiuorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt.

Macedonia ter rebellauit, sub Philippo, sub Perseo, sub Pseudophilippo. Philippum Flamininus, Perseum Paulus, Pseudophilippum, Metellus oppressit: Quorum triumphis Macedonia quoque P. R. adiuncta est.

Illyricos qui auxilium Macedonibus attulerant, ex eadem occasione per L. Anicium prætorem vicimus, & eos cum rege Gentio in deditionem accepimus.

Dardanos & Mæfios Curio Procos. subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque peruenit.

Sub Iulio & Octauiano Cæsaribus per Alpes Iulias iter factum. Alpinis omnibus victis, Noricorum prouinciæ accesserunt.

Batone Pannoniorum rege subacto in deditionem Pannoniæ venerunt.

Amantinis inter Sauum & Drauum prostratis, regio Sauensis ac secundarum



rum loca Pannaniorum obtenta sunt.

Marcomanni & Quadi de locis Valeriae, quæ sunt inter Danubium & Drauum pulsi sunt, & limes inter Romanos & barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam ac Moesiæ est institutus.

Traianus Dacos sub rege Decebalo vicit, & Daciam ad Danubium in solo barbarico provinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum: Sed sub Gallieno Imper. amissa est, & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Moesiæ factæ sunt.

Habet Illyricus decem & octo provincias, Noricorum duas, Pannaniorum duas, Valeriam, Seruiliam, Saviæ, Dalmatiam, Moesiæ, Daciæ duas. Et in ditione Macedoniae sunt septem: Macedonia, Thessalonica, Achaia, Epiri duæ, Prævalis & Creta.

In Thracias Macedonici belli occasione transcursus est. Scitissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In



## HISTORIA.

In Thracum regionibus Scordisci habitauerunt, pariter crudele & callidum genus: de quorum sæuitia multa fabulose memorantur, quod hostium captiuos Dijs suis litauerunt, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sunt soliti. Sæpè per eos Romanus cæsus est exercitus. T. Didius vaganteis Thracas repressit: M. Drusus intra fineis proprios continuit. Minucius in Hebri fluminis glacie vastauit. Per Appium Claudium Cos. hi, qui Rhodopen incolebant, victi sunt.

Europæ maritimas vrbes antea Romana classis obtinuit, M. Lucullus per Thraciam cùm Bessis primus pugnavit, ipsum caput gentium vicit. Thracos AEmimontanos subegit, & Eumolpidam, quæ nunc Philippopolis dicitur, & Olympiadā, quæ modò Adrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit; Calyben coepit, supra Pontum positas ciuitates occupauit, Apolloniam, Calatiam, Parthenopolin, Tomos, Istrum; ad Da-

B

nu-



nubium vsque perueniens Romanus Scythis arma monstraui.

In deditiōem Reip. sex Thraciarum prouinciæ sunt conquiſitæ, Europa, Thracia, Hæmi mons, Mœſia inferior, Scythia, Rhodope, in qua nunc ſede arces Romanæ vrbis ſunt conſtitutæ Conſtan- tinopolis.

Nunc autem eas parteis, totumque Orientem, ac poſitas ſub vicino ſole prouincias, qui autores ſcep- tris ſuis paraue- rint, explicabo, quo ſtudio clemen- tiæ tuæ, quòd in iſſdem propagandis ha- bebis, amplius incitetur.

Aſia ſocietate Attali regis nota Ro. eſt: eamque Attali teſtamento relictam hæ- reditario iure poſsidemus: ne quid Po- pulus Rom. non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriorum re- ge maximo eſt vindicata.

Eadem occasione etiam Lydia ſedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygia in poteſtatem pop. Rom. iun- cta deditiōe venerunt.

Rho-



## HISTORIA.

Rhodijs & insularum populis primùm infestissimis, pòst fidelissimis auxiliatoribus vfi sumus: Ita Rhodus insula primùm liberè agebat, postea in consuetudinem parendi Romanis clementer peruénit. Et sub Vespasiano principe Insularum provincia facta est.

Pamphiliam, Phrygiam, Cariam, Isauriam, Seruilius Procos. ad bellum Epirotarum missus obtinuit.

Bithyniam defuncti Nicomedis testamento assecuti, Gallogræciam, id est Galatiam, sunt enim ex Gallis, vt sonat nomen Galatæ, quos, quòd Antiocho contra Romanos auxilium præbuisent, inuasimus. Manlius cos. Galatas persecutus est, quum fugientes partim in Olympum, partim in Magabiam montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detrussit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus rex nobilis Romanis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octauiano Cæsare Augusto Galatia in formam pro-



uinciæ redacta est. Eam primus Lollius administravit.

Cappadoces primùm societatem nostram sub Ariarathe rege petiuerunt, posteaq; Ariobarzanes rex Cappadocum à Mithradate expulsus, Romanorum armis restitutus est, semperque in auxilia nostra fuerunt Cappadoces, & ita maiestatem coluere Romanam, ut in honorem Augusti Cæsaris Mazaca ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsarea nuncuparetur. Postremò cum sub Imp. Tiberio Cæsare Archelaus ex Cappadocia Romam venisset, ibique diu detentus occubuiisset, in prouinciæ speciem Cappadocia migravit.

Pontus, per Pompeium victo Mithradate, rege Pontico, formam prouinciæ accepit. Paphlagoniam Pylemenes rex amicus Pop. Rom. tenuit, sæpè ex eo pulsus regno, à nobis est restitutus: quo mortuo prouincia eius Paphlagonibus imposita est.

Vltra iuga Tauri montis, quemadmodum



## HISTORIA.

dum Romana possessio perrexit consequenti locorum magis, quàm temporum seruata digestionem monstrabitur.

Antiochus, Syriae rex potentissimus, bellum formidabile Pop. Rom. intulit; trecenta millia armatorum habuit, falcatis curribus & elephantis aciem instruxit, à Scipione cos. fratre Scipionis Africani, in Asia apud Magnesium victus est; pace accepta intra Taurum regnare permixsus est. Eius filij regnum Syriae sub clientela P. R. retinuerunt quibus defunctis, Syriarum prouincijs potitissimus.

Cilices & Isauros, qui se piratis & praedonibus iunxerant, Seruilius procos. ad praedonum bellum missus subegit, & viam per Taurum montem primus instituit, & de Cilicibus & Isauris triumphauit, atque Isauricus cognominatus est.

Cyprus famosa diuitijs paupertatem P. R. vt occuparetur, sollicitauit. Eam rex foederatus regebat: sed tanta fuit penuria aerarij Romani, & tam ingens fama



opum Cypriarum, vt lege lata Cyprus confiscari iuberetur. quo accepto nuncio, rex Cyprius venenum sumsit, quo vitam prius, quàm diuitias amitteret. Cato Cyprias opes nauib. aduexit, ita vt ius eius Insulæ auariùs, quàm iustiùs simus affecuti.

Cyrenas cum cæteris ciuitatibus Lybiæ Pentapolis, Ptolomæi antiquioris liberalitate suscepimus.

Lybiam supremo Apionis regis arbitrio sumus affecuti. A Egyptus omnis sub amicis regib. fuerat: sed victa cum Antonio & Cleopatra prouinciæ formam Octauij Cæsaris Augusti tempore accepit, & primùm apud Alexandrinos Cornelius Gallus Ro. iudex administrauit.

Per confinia Armeniarum primum sub. L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt visa. Sarraceni & Osrhoeni superati cessere: In Mesopotamia ab eodem Lucullo vrbs capta est: postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt: Syriæ ac Phænices bello à Tigrane



## HISTORIA.

grane Armeniorum rege receptæ sunt. Arabes & Iudæi in Palestina victi sunt. Ad extremum sub Traiano principe regis maioris Armeniæ diadema sublatum est.

Per Traianum Armenia, Mesopotamia, Syria, & Arabia prouinciæ factæ sunt, ac limes orientalis supra ripam fluminis Tigridis constitutus est: Sed Adrianus, qui successit Traiano, inuidens gloriæ Traiani, spontè Armeniam & Mesopotamiam & Syriam reddidit, ac medium inter Persas & Romanos Euphraten esse voluit.

Et postea sub Antoninis duob. Marco & Vero nota pertinacia, cæterisq; principibus Romanis, qui aduersus Parthos euentu vario pugnaverunt, quater amissa, quater accepta Mesopotamia est.

Et Diocletiani temporibus victis prima congressione Romanis, secundo autem conflictu superato rege Narseo, & vxore eius, ac filiabus captis, & eis summa pudicitiae custodia reseruatis, pace fa-



eta, Mesopotamia est restituta, & supra ripam Tigridis limes est reformatus, ita ut quinque gentium trans Tigridem constitutarum ditionem assequeremur. Quæ conditio fæderis in tempus Diui Constantini conseruata durauit.

Scio nunc, quò tua vergat intentio. Requiris profectò quemadmodum Babylonix & Romanorum arma collata sunt, & quibus viribus sagittis pila confoderint. Breuiter euentus enumerabo. Bellorum furto hostes inuenies in paucis lætatos esse, vera autem virtute semper Romanos probabis extitisse victores.

Primum a L. Sulla procos. Arsaces rex Parthorum, missa legatione amicitiam Po. Rom. rogauit ac meruit

L. Lucullus Mithradaten regno Pontic exutum, ad Armeniam profecutus est: Tigranem Armeniorum regem cum centum millibus clibanarijs & centum viginti millibus sagittariorum, ipse cum decem & octo millibus vicit: Tigranocertam maximam Armeniæ ciuitatem expugnauit,



## HISTORIA.

uit, Medenam optimam Armeniorum regionem obtinuit. Per Melitenen ad Mesopotamiam descendit, Nisibin cum fratre regis cepit: tenderein Persas patus, successorem accepit.

Cn. Pompeius expertæ felicitatis ad bellum Mithradaticum missus, Mithradatem in Armenia minore nocte aggressus prælio superavit, cæsis duobus & quadraginta millibus hominum castra inuasit. Mithradates enim cum vxore, & duobus comitibus, in Bosporum fugit. Ibi desperatione rerum suarum venenum hausit; & cum vis veneni parum ageret, à milite suo, vt ferro percuteretur, impetrauit.

Pompeius auxiliatorem Mithradatis Tigranem Armeniorum regem persecutus est: Ille se oblato diademate, apud Artaxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamiæ, Syriæ, & aliquanta pars Phænicis, & in Armenia minore regnare permissus est.

Item Pompeius Bosporanis & Colchis Aristarchum regem imposuit; cum

B 5

Al-



Albanis conflixit, Orode Albano regi ter victo, pacem dedit; Iberiam cum Arface rege deditione accepit; Sarracenos & Arabes vicit; Iudæa capta Hierosolymam obtinuit; Cum Persis foedus fecit. Rediens apud Antiochiam Daphnensem lucum, loci delectatus amœnitate, & aquarum abundantia, addito nemore consecrauit.

M. Crassus Cos. aduersus rebellanteis Parthos missus est. Is cùm pax missa à Parthis legatione rogaretur, apud Ctesiphontem responsurum se ait.

Qui apud Zeugma traiecit Euphraten à transfuga quodam Maracho indutus ad ignotam camporum solitudinem descendit. Ibi vndique circumuolantibus sagittariorum agminibus, cum Syllace & Surena præfectis regis, est cinctus exercitus, & vi telorum obrutus: Ipse Crassus, qui ad colloquiũ sollicitatus viuis penè capi posset, repugnantibus tribu- nis euaserat, & dũ fugam petit, occisus est.

Caput eius cum dextra manu resec-  
tum



## HISTORIA.

ctum ad regem perlatum est, atque ita ludibrio habitum, vt faucibus eius aurum liquefactum infunderetur, scilicet, vt qui ardens cupiditate prædandi, pacem regis rogatus abnuerat, etiam mortuo eius reliquias auri flama combureret.

C. Cassius quæstor Crassi, vir strenuus, reliquias fusi collegit exercitus, & contra Persas in Syriam irrumpentis, ter cum summa admiratione conflixit, eosque trans Euphraten redactos vastauit.

Parthi Labieno duce, qui Pompeianarum partium fuerat, & victus ad Persas refugerat, in Syriam irruperunt, ac totam prouinciam occupauerunt.

P. Ventidius Bassus Parthis, qui duce Labieno Syriam inuaserant, occurrens in Caparo monte cum paucis fugauit, Labienum occidit, persecutus est Persas & ad interemptionem strauit. Qua congressione Parthorum regis filium die, qua Crassus victus fuerat, occidit, ne aliquando ducis Romani mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis triumphauit.

M. An-



M. Antonius in Mediam ingressus ,  
 quæ nunc Medena appellatur, bellum  
 Parthis intulit, & primùm eos vicit: pòst  
 duabus legionibus amissis, quum fame,  
 pestilentia, tempestatibusq; premeretur,  
 vix per Armeniam, Persis insequentibus,  
 reuocauit exercitum, tanto per momen-  
 ta temporum terrore perculsus, vt à gla-  
 diatore suo percuti postùlaret, ne vius  
 in hostium potestatem veniret.

Sub Octauiano Augusto Cæsare Ar-  
 menia cum Parthis conspirauit.

C. Cæsar, nepos Augusti, cum exer-  
 citu missus ad Orientem, quum per ma-  
 iestatem Romani nominis facile cuncta  
 sedasset, atque ei se tunc Armeni, qui  
 tunc temporis validiores erant Parthis,  
 dedidissent, & Iudices ex instituto Pom-  
 pei dictis gentibus C. Cæsar præficeret,  
 Dōnes quidam, quem Arsaces præposu-  
 erat, proditione simulata, libellum, in quo  
 scripti thesauri continerentur, obtulit:  
 Quem cum Romanus Imperator legeret  
 intentius, vltro Dōnes aggressus Caium  
 vulne-



## HISTORIA

vulneravit. Percussor quidem à militibus confossus est, Caius vulneratus reuersus in Syriam obiit. Persæ ad satisfactionem tam audacis admissi obsides tunc primùm Octauiano Cæsari dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt.

Pacatis gentibus Orientis, Augustus Cæsar etiam Indorum legationem primus accepit.

Nero quem turpissimum Imperatorem Romana Resp. est passa, amisit Armenias duas, tùm legiones duæ sub iugo à Persis missæ, extremo dedecore Romani exercitus sacramenta foedauere.

Traianus qui post Augustum Reip. Romanæ mouit lacertos, Armeniam recepit à Parthis, sublato diademate regi Armeniæ maioris regnum ademit, Albanis regem dedit, Iberos, Bosporanos, Colchos, in fidem Romanæ ditionis accepit, Sarracenorum loca & Arabum occupauit, & Adiabenos & Mardomedos obtinuit, Anthemusiã etiam optimam Persidis regionem



gionē Seleuciam & Ctesiphontē & Baby-  
loniam accepit, & tenuit vsq; ad Indiæ fi-  
nes. Post Alexandriam accessit, in mari  
rubro classem instituit, prouincias fecit  
Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam,  
quæ post & apud Tigridem atque Eu-  
phraten sita, irriguis tribus annibus in-  
star foecundatur Aegypti.

Adrianum gloriæ Traiani certum est  
inuidisse, qui ei successit imperio. Hic  
forte propria inde eductis exercitibus Ar-  
meniam & Mesopotamiam & Assyriam  
concessit, & inter Romanos & Persas Eu-  
phraten esse voluit.

Antonini duo Marcus & Verus, hic  
focer, & ille gener, pariter Augusti Impp.  
orbis æquata primū potestate imperi-  
um tenuerunt.

Sed ex his Antoninus Iunior ad expe-  
ditionem Parthicam profectus multa in-  
gentia aduersus Persas foeliciter gessit.  
Seleuciam Assyriæ urbem cum quadrin-  
gentis millibus hostium cepit, ingenti glo-  
ria de Persis cum focero triumphauit.

Seuerus



## HISTORIA.

Seuerus natione Afer, acerrimus Imperator, Parthos strenuissimè vicit, Adiabenos deleuit, Arabes obtriuit, Arabiam prouinciam refecit. Huic cognomina ex victorijs acquisita sunt: nam Adiabenicus, Parthicus & Arabicus cognominatus est.

Antoninus Bassianus cognomento Caracalla, filius Seueri Imperatoris, expeditionē in Persas parans in Osrhoēne apud ciuitatem Edessam, prope morte obiit, & ibidem sepultus est.

Aurelius Alexander quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis iuuenis admodum gubernacula Rom. Imp. suscepit. Ipse Persarum regem nobilissimum Narsē gloriosè vicit. Hic Alexander sacrorum scriniorum magistrum habuit Ulpianum Iurisconsultum. De Persis pompa spectabili triumphauit.

Sub Gordiano Augusto ex iuuentutis fiducia rebellantes Parthi ingentibus prælijs concussi sunt. Itaque de Perside rediens victor, fraude Philippi, qui præfectus



fectus prætorio eius erat, occisus est: milites eius tumulum XX miliario à Circesso, quod nunc extat, ædificarunt, atque eius exsequias Romam magna cum reuerentia deduxerunt.

Valeriani infausti principis fortunam tædet referre. Is cum Gallieno suscepit imperium: sed hunc exercitus, Gallienum senatus imperatorem fecit, è quibus in Mesopotamiam aduersus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarum rege superatus est, & captus dedecore vitæ suæ consenuit.

Sub Gallieno, Mesopotamiam inuasam, & Afsyriam etiam sibi Persæ vindicare coeperant, nisi, quod turpè est, Odenatus, decurio Palmyrenus, collecta Syriorum agrestium manu, acriter restitisset, & fusis aliquoties Persis non modò nostrum militem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem Rom. ultra imperium, quod mirum est dictu, penetrasset.

Aureliani Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati vxor accessit: ea enim post mortem



## HISTORIA

mortem mariti feminea ditione Orientistenebat imperium, quam Aurelianus multis clibanariorum & sagittariorum milib. fretam apud Emisam haud procul ab Antiochia vicit, & captam Romam triumphans ante currum duxit.

Cari Imperatoris victoria de Persis nimium potens superno numini visa est: nam ad inuidiam superni numinis pertinuisse credenda est. Is. n. ingressus Persidem & quasi eo nullo obstante vastavit, Cochem & Ctesiphontem vrbes nobilissimas cepit. Quum victor totius gentis castra super Tigridem haberet, fulminis ictu interiit.

Sub Diocletiano principe pompa victoriae nota de Persis est. Maximianus Caesar prima congressione, quum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicasset, pulsus recessit. Hic tanta indignatione à Diocletiano susceptus est, vt ante carpentum eius per aliquot milia passuum cucurrerit purpuratus, cum vix impetrasset vt reparato de limitaneis

C

Daciae



Daciæ exercitu euentum Martis repeteret. In Armenia maiore ipse Imperator cum duobus equitibus explorauit hostes, & cum viginti millibus militum superueniens castris hostium, subito innumera Persarum agmina aggressus ad interemptionem occidit. Rex Persarum Narseus effugit, & vxor eius, & filia captæ sunt, & maxima pudicitia custodia reseruata. Pro qua admiratione Persæ, non modò armis Romanos superiores esse confessi sunt, sed Mesopotamiam cum Transigranis quinque regionibus reddiderunt: Pax facta est, & vsq; ad nostram memoriam Reip. perutilis perdurauit.

Constantinus rerum dominus extremo suæ vitæ tempore expeditionem parauit in Persas. toto .n. orbe pacatis gentibus, & recenti de Gotthis gloriosior victoria, multis in Persas descendebat agminibus: sub cuius aduētu Babylonia tantum regna trepidauerunt, vt supplex eorum legatio occurreret, Persæ facturos se imperata promitterent: nec tamen  
pro



## HISTORIA.

pro assiduis eruptionibus, quas, sub Constantino Cæsare, per orientem tentaerant, veniam meruerunt.

Constantius in Persas vario, ac magis difficili, pugnavit euentu: præter leues excubantium in limite congressiones, acrior acie novies decertatum est: per duces suos septies, ipse præsens bis adfuit. Averis & grauib. pugnis Berna & Singara præfente Constantino & Segarena Constantiensis quoque cum Amida capta est.

Graue sub eo principe Resp. vulnus accepit: Ter autem est à Persis obseffa Nisibis ciuitas: sed maiori suo detrimento dum obsideret, hostis affectus est. Marenfi autem bello, vbi Narseus occidit superiores discessimus. Nota verò in agro Aliensi prope Singarenā pugna, vbi Constantius affuit.

Omniū expeditionum compensatus fuisset euentus, si locis & nocte aduersantibus percitos ferocia milites ab intempestiuo pugnandi tempore Imperator ipse ad loquendum reuocare potuisset. Cui

C 2

tamen



tamen inuicti viribus improuisi aduersus  
 sitim aquarum subsidij incumbentes ve-  
 ltere castra Persarum aggressi, ruptis mu-  
 nitionib. occuparunt, fugatoq; rege, cum  
 à prælio respirantes prætentis luminibus  
 inhiarent aquæ, nimbo sagittarum obruti  
 sunt. Quur stolidè ad dirigendos certius  
 in se ictus lumina ipsa per noctem accensa  
 præbuerunt?

Juliano in externos hosteis expertæ  
 felicitatis principi aduersus Persas modus  
 defuit. Is cū ingenti apparatu, vtpote to-  
 tius orbis regnator, infesta in Persas si-  
 gna commouit, instructam commeatibus  
 classem per Euphraten inuexit: Strenu-  
 us multa Persarum opida ac castella, aut  
 suscepit dedita, aut manu cepit.

Quum contra Ctēsiphontem in Ti-  
 gridis & Euphratis ripa iam mixti castra  
 haberet, ludosq; campestreis, vt hosti sol-  
 licitudinem deimeret, per diem agitasset,  
 noctis in medio impositos nauibus mili-  
 tes in vltiorem ripam Eufhratis transue-  
 xit: qui per ardua nitentes, quā difficilis  
 etiam



## HISTORIA

etiam per diem, & nullo prohibente, fuisset adscensus, Persas terrore subito miscuerunt, euerfis agminib. totius gentis: Apertis & Ctesiphonte portis victor miles intrasset, ni maior prædarum occasio fuisset, quàm cura victoriæ.

Tantam adeptus gloriam, quum de re-ditu à militibus admoneretur, intentioni suæ magis credidit, & exustis nauibus cum transfuga, qui ad fallendum se obiecerat, inductus in Euman deuiam viæ compendia sectaretur: Dextrum iter adueriâ Tigridis ripa nudato militum latere ter relegens, quum incautius, per agmen erraret, excito puluere, ereptus è suorum conspectu, ab hostium obuio equite conspecto per ilia ictus inguine tenus vulneratus est. Inter effusionem nimij sanguinis, quum suorum ordinem licet saucius instaurasset, cunctantem animam multis suos allocutus efflauit.

Iouinianus prælijs superiorem, sed confusum morte imperatoris amissi suscepit exercitum. Quum commeatus deficerent,

C 3 & via



& via in reditu prolixior immineret, Persæ crebris excursibus, nunc à fronte, nunc à tergo, mediorum quoq; latera incurfantes inter agmina morarentur, consumptis aliquot diebus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, vt à Persis primus sermo de pace haberetur. Ac tunc confectus inedia exercitus, conditionibusq;, quod nunquam antea accidit, Romanæ Reip. stipendiorum impositis, vt Nisibis & pars Mesopotamiæ traderetur: quibus, cupidior regni quàm gloriæ Iouinianus, imperiorum disacquieuit.

Quàm magno deinceps ore tua princeps facta incluta sunt personanda, quibus me licet imparem dicendi nixu & æuogravior parabo. Maneat modò concessa Dei nutu & amico, cui te credideris & creditus es, numine, indulta felicitas. De hac gente, sicut de Gothis, etiam Babylonibus tibi palma pacis accedat gloriosissime principum Valentiniane  
Auguste.

HEN.



HENRICI MEI  
BOMI

IN FESTVM RVFVM  
Castigationes & Notæ.





IN SEXTVM RV-  
FVM EMENDATVM  
ab Henrico Meibomo.



*VFE, prius rufa rubiginis obfite fumo,  
Implebas prisci nominis augurium.  
At nunc MEIBOMO sordes adimēte priores,  
Et te splendori restituente, nites.  
Vix nos antè tuos poteramus noscere Cul-*

*tus,  
Quàm tua ab hoc speculo luxit imago novo.  
Dì dent MEIBOMO Virides sine labibus annos,  
Cum Sexto Vt RVFO tempora QVINTVS agat.*

*Nicodemus Frischlinus  
Comes Palatinus, Doctor  
Medicus & Poëta coro-  
natus.*



EPI-



EPIGRAMMA  
DE HENRICO MEL-  
BOMIO V. CL.

**I**vre RVCHANANVM celebrant hæc secula Vatem,  
Tequæ pari iunctum PAVLLE MELISSE gradu,  
FABRICIVM ET MYSÆ decus indelebile gentis  
Et se quos alios docta Thalia probat.  
AEmula quod scribant THEBANIS carmina metris,  
Quod renouentquæ lyram FLACCE Venuſte tuam.  
SCOTIA cum FRANCIS ET MYSNIA culta superbit,  
Quæ laudem hanc LATIIS præripuere plagis.  
His se VVESTVALLICÆ iungit MEIBOMIVS oræ  
Gloria, IVLAEÆ deliciūquæ Schola,  
Historiæ volitans Vaga qui per prata sacrosquæ  
Fonticulos libans, carmina docta canit:  
Sicut apis, quæ flore & rore fragantia stipat  
Mella, suis operis grata futura DEO,  
Grata homini: Hoc ipsum est Vegeto quod carmine Vatu  
Laudandus DEVS est, & merita alta hominum.  
Maacte tuo ingenio MEIBOMI culte, tuaquæ  
Virtute; & tantis addite Vire Viris.

*Petrus Albinus in Acad. Vite-  
bergensi Poës. & Historiarum  
Professor publicus.*

C 5

NOMI-



NOMINA AVTORVM  
quibus in hoc commenta-  
riolo vfi sumus.

<i>Abrahamus Ortelius.</i>	<i>Guilielmus Eudæus.</i>
<i>Adrianus Turnebus.</i>	<i>Guilielmus Philander.</i>
<i>Agathias.</i>	<i>Herodianus.</i>
<i>Alexander ab Alexand.</i>	<i>Herodotus.</i>
<i>Ammianus Marcellinus</i>	<i>D. Hieronymus.</i>
<i>Andreas Althamerus.</i>	<i>Iornandes Gothus.</i>
<i>Appianus Alexādrinus.</i>	<i>Isaacius Gasaubonus.</i>
<i>Arrianus.</i>	<i>Isidorus Hispalensis.</i>
<i>Aurelius ViCTOR.</i>	<i>Iulius Solinus.</i>
<i>Carolus Sigonius.</i>	<i>Iulius Capitolinus.</i>
<i>Cassiodorus.</i>	<i>Iulius Caesar.</i>
<i>M. Cicero.</i>	<i>Iustinus.</i>
<i>Codex Iustiniani.</i>	<i>AEL. Lampridius.</i>
<i>Dio Cassius.</i>	<i>Leo Imperator.</i>
<i>Diodorus Siculus.</i>	<i>Linus.</i>
<i>Dionysius Halicarnasse-</i>	<i>Mattheus Hostus.</i>
<i>Eusebius.</i>	<i>(us. Messala Corvinus.</i>
<i>Eutropius.</i>	<i>Modestus.</i>
<i>Fasti Capitolini.</i>	<i>Nazarius.</i>
<i>Festus Pompeius.</i>	<i>Notitie Rom. Imperij.</i>
<i>L. Florus.</i>	<i>Novella Institution.</i>
	<i>P. Ovi-</i>



*P. Ovidius Naso.*

*P. Orosius.*

*Paulus Diaconus.*

*Plautus.*

*Plinius.*

*Plutarchus.*

*Polyenus.*

*Pomponius Latus.*

*Pomponius Mela.*

*Procopius.*

*Ptolomeus*

*Raphaël Volateranus.*

*Reinerus Reineccius.*

*Servius*

*Stephanus de urbibus.*

*Strabo.*

*Suetonius Tranquillus.*

*Suidas.*

*Tacitus.*

*Trebellius Pollio.*

*Tripartita historia.*

*Fl. Vegetius.*

*Velleius Paterculus.*

*Virgilius Maro.*

*Zonaras.*

*Zosimus.*

**HEN.**



HENRICI MEIBOMI  
INFESTVM RVFVM  
CASTIGATIONES ET  
notæ.



VO tempore Festus Rufus vixerit, & qua dignitate Romæ fuerit, ex epigraphæ compendij huius apparet. Indicat autem Rufus se iussu Valentiniani Cæs. hanc epitomen congeßisse, quod idem Eutropius *ὡς* *ἐστίν* in procæmio suæ historiæ testatur, ex quo Imperatoris erga hanc studiorum partem regia affectio manifesta fit. Concisè, breuiterq; & tanquam in transcurso res multas attingit Rufus, quæ ab idoneo interprete plenius euolui planiusq; declarari & debent & possunt. Mihi cum propositum esset hunc authorem iuuentuti Iuliæ proponere, mirum in modum temporum iniuria & librariorum incuria visus fuit esse foedatus, iccirco frustra emendatiora exemplaria quærenti necessariò admouenda manus fuit, quod quàm factum feliciter, aliorum esto iudicium. Hoc interim affirmare possum, non parum labis & sordium nostra opera detersum esse: quod tum manifestius apparebit, si nostrum hoc exemplar cum alijs æditionibus conferatur.

Addidi



Addidi etiam alicubi quædam illustrandi gratia, vbi opus videbatur, sed pauca illa, reliqua alteri occasione & publicæ interpretationi reservaturus. Si lectori probatus fuerit hic conatus, ad alia, præstite Deo opt. max. me, ocij impatiens, accingam, & vt spartam meam pro virili ornem, præclare annitar.

Corduenos) Antea legebatur Cardoneos. Sunt autem Cordueni populi circa mare Hircanum Adiabenis connexi, teste Plinio lib. 6. ca. 15. olim dicti fuerunt Carduchi, quod nomen Strabo habet li. 16. item Stephanus de urbibus. Diodorus lib. 14. nominat Carduchos montes inter Mediam & Armeniam.

Alpes Cotticæ) Sic Dioni, Ammiano alijsq; appellantur: Suetonius Coctias: Tacitus Coctianas, à Coctio earum rege, cuius meminit Ammianus lib. 15.

Prima prouinciarum) Cicero 4. Verrina, Velleius Paterculus lib. 2.

Per Africam omnem sex prouinciæ) Sex Prouincias nominat Rufus, & quinque ponit. Isidorus lib. 14. cap. 5. post Tripolim Byzantium collocat, cuius meminit Plin. lib. 4. cap. 5. Volaterranus lib. 12. Geograph. Hirtacium nominat, sed minus rectè.

Iunius) Sic scribo pro Iulius Syllanus, nam à Silo cognomen deducitur.

Per o-



Per omnes Hispanias) Has etiam recenset  
Isidorus Origin. lib.14.cap.4.

Callæcia) Sic scribo pro Gallicia secutus  
authoritatem Dionis, qui sic lib.37. *Βριγάντιον*  
*πόλιν καλλικίας*. Straboni lib.3. *καλλαινη*.

Marius Gallos) Nisi heic Gallorum nomen  
generaliter intelligas, vt apud Græcos Celta-  
num appellatio vsurpari solet, locus erit men-  
dosus. Marius enim Cimbros & Teutones gen-  
tes Germanicas vicit, & ex Italia eiecit. Cicero  
tamen in oratione de prouincijs bellum hoc  
Gallicum vocat.

Per annos octo) Transposita quædam heic e-  
rant, quæ suo loco rursus collocata sensum aper-  
tum faciunt.

Sunt Galliæ) Galliæ prouincias vndecim  
Ammianus Marcellinus recenset lib.15.

Nouempopulana) Exstat hoc nomen etiam  
in libro notitiarû Romani Imperij. Aminiano  
Novempopuli.

In Britannia) Abrahamus Ortelius in Syno-  
nymia Geographica, hunc locum ita citat, vt  
Britanniæ secundæ, Flauiam subijciat, quam  
nostra exemplaria omittunt, & sanè numerus  
antepositus videtur hoc exigere: decem enim  
& septem alioqui tantum habebimus.

Flamininus) Sic lego pro Flaminius secutus  
Fastos Capitolinos.

L. Ani-



L. Anicium) Legebatur heic L. Manilium, sed perperam. Non enim Manlius quispiam, sed L. Anicius Gallus prætor Gentium Illyriorum regem deuicit, teste Floro lib. 2. cap. 13. Epitoma 44. Eutropius lib. 4. non rectè Caium nominat.

Mæsius Curio) Antea Curius legebatur, sed minus rectè. Nam C. Scribonius Curio Dardanos debellauit, & vsq; ad Danubium peruenit triumphumq; meruit. Eutrop. lib. 2. Epitoma 92. & 95.

Alpes Iulias) Has Venetas antiquitus appellatas Ammianus lib. 31. prodit.

Amantinis) Ita scribit etiam Iornandes Gothus lib. 1. Ptolemæus Amantenos nominat, & inferioris Pannoniæ populos facit. Plin. lib. 3. cap. 15. Amantinorum vrbis meminit. Stephanus hos Abantes vocare videtur, regionem vero Amantiam.

Habet Illyricus) Plinio lib. 3. cap. 21. Illyricum: Ptolemæo Illyris, Stephano Illyria vocatur. Prouincias Illyrici etiam Iornandes lib. 1. recenset.

Decem & octo) Sic lego pro septem & decem. tot enim enumerat, & conuenit cum Iornande lib. 1.

Præualis) Alij Præualitana, Iornandes Præuales.

Scordisci) Ortelius ex suo exemplari Scordissos legit: Strabo lib. 7. Scordiscas appellat.

Crude-



Crudele) Placet hoc magis quàm crude-  
les.

Quod hostium captiuos) Hunc morem Tau-  
ris Herodotus adscribit lib. 4. quos Solinus cap.  
25. Scythotauros nuncupat, & eandem ipsis  
barbariem adtribuit. Meminit Pompon. Mela  
lib. 2. cap. 1. Videatur Seruius ad 116. versum se-  
cundi libri Aeneidos:

*Sanguine placastis ventos & virgine cesa.*

In ossibus capitum potare) Herodotus li. 4.  
Quem primum virum in bello capit vir Scytha,  
eius sanguinem potat, quoscunq; in prælio in-  
teremerit, eorum capita regi offert. Caput hoc  
modo præcidit: in orbem illud amputat iuxta  
aures verticeq; sumpto excutit: & infra: Non  
tamen de omnibus, sed de inimicissimorum ca-  
pitibus hoc faciunt &c. Isidorus li. 9. ca. 2. Thra-  
cibus hanc barbaram crudelitatem adsignat.

Sæpè per eos) Id probat Eutropius qui de  
Catone Cos. sic scribit lib. 4. C. Cato Cos. Scor-  
discis intulit bellum, ignominioseq; pugnavit,  
item epitom. 63. Cato Porcius Cos. in Thracia  
malè aduersus Scordiscos pugnavit. Antea verò  
bella fuisse Romanis cum gente Scordiscorum  
liquet ex epitoma 56. vbi Cosconius Prætor,  
prosperè pugnasie commemoratur.

T. Didius) Didius minus rectè Marcus ap-  
pellabatur, reposui T. nam de eo Cicero in Pi-  
soniana sic: Quin tu me vides, inquit, qui ex qua  
prouin-





prouincia T. Flamininus, L. Paulus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij leui cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea sic redij, vt ad portam Esquilinam Macedonicam lauream cōculcarim. In fastis capitolinis nominatur T. Didius T. F. Sex. N.

Per Appium Claudium Cos.) Carolus Sigonius hunc locum citans legit Ap. Claudium procos. quod rectius esse videtur, nam Eutropius sic scribit li. 6. Ad Macedoniam missus Ap. Claudius post consulatum, leuia praelia habuit contra varias gentes, quæ Rhodopœam prouinciam incolebant, atq; ibi morbo mortuus est.

Bessis) Bessi populi sunt Thraciæ apud Strabonem lib. 7. vbi ad Hæmum montem eos habitare & à prædationibus prædones appellari scribit. Isidorus lib. 9. cap. 2. Origin. à multitudine bouum Bessos nomen accepisse tradit, sed notionem illam iudico fabulosam. Meminit Bessorum Ouid. lib. 4. Tristium, elegia 1.

*Viuerè quàm miserum est inter Bessosq; Getasq;*

Item lib. 3. Elegia 10.

*Sauromata cingunt fera gens Bessi q; Geta q;*

Dio lib. 55. Bacchum à Scordiscis cultum, eiusq; sacerdotem Vologæsum fuisse commemorat. De astutia Bessorum in agendis cuniculis habet Fl. Vegetius lib. 2. cap. 11. & lib. 4. cap. 24.

Thraces Aemimontanos) Sic lego pro Thraces enim montanos. Aemimontani Thraces

D

sunt



sunt Aemi montis accolæ, qui Iornandi Hæmia-  
montij appellantur. Notandum etiam hoc loco  
est, vocem hanc à Plinio & alijs scribi cum aspi-  
ratione, Ptolemæus sine aspiratione scribit.

Cabylen) pro Cauillam substitui Cabylen  
de sententia Caroli Sigonij: quamquam Caly-  
be vrbs sit supra Byzantium sita in Astorū gen-  
te, vt Strabo lib. 7. Vide Suidam in voce Cabylo.

Calatiam) Sic scribo pro Gallatiam, Ptole-  
mæus etiā Callatiā. Strabo lib. 7. Callatin. Arria-  
nus in Periplo ponti Euxini Callantram vocat.

Sex Thraciarum) Prouinciæ Thraciæ pari  
numero, alio tamen ordine, ab Ammiano refe-  
runtur lib. 27.

Hæmimons) Ammianus Hæmimontus.

Sunt enim ex Gallis) De hac re præter alios  
Suidas in voce Galatas & Isidorus Orig. li. 14. ca. 3.

Manlius Cos.) Ita hunc locū emendauī. non  
n. memini vñquā à me lectum, quod à Mummiō  
Gallogræci sint debellati, sed omnium scripto-  
rum consensu tribuitur hoc Cn. Manlio Vulso-  
ni, qui cum M. Fulvio Nobiliori consulatum  
gessit anno V.C. 15 clxiv.

Magabia) pro Megara lego Magabia cum  
Abrahamo Ortelio, Iornandes habet Magaba.  
Raphaël Volaterranus lib. 10. Geograph. legit  
Ancyram.

Modiacus) Sic Ortelius, antea Modiatus.  
Volaterranus habet Mediatus.

Deiota-



Deiotarus) Hic Deiotarus in prioribus æditionibus rex Bœotiæ appellabatur, quod num constare possit, ambigo. dispunxi igitur. Certū est, Tetrarcham fuisse Tolistobogiorum, & deinde imperium bello Mithradatico amplificasse.

Galatia in formam prouinciæ) Factum hoc post obitum Amyntæ, cui M. Antonius Galatiam concesserat, vt Dio lib. 53.

Ariarathe) Loquitur hic de Ariarathe eius nominis V. qui quartus decimus Cappadocum rex, ex familia Pharnacis fuit. Ille cum Antiochū M. cuius filiam in matrimonio habebat, contra Romanos iuuisset, multam pendere iussus amicitiam Romanorum petiuit & impetrauit.

Mazaca) Ita emendaui: nam perperam à Rufo, vt & Eusebio, Megara hæc vrbs nominatur: quemadmodum Guilielmus Philander annotat in Vitruuium. Cæsarea autem dicta est, vel à Claudio Tiberio Cæs. vt vult Eusebius, vel ab Octauio Augusto, vt sentit D. Hieronymus. Iulianus Apostata oblitterato Cæsareæ nomine vetus Mazacæ nomen incolis inducere conatus fuit, vt historia tripartita refert lib. 6. ca. 4. Straboni lib. 12. Eusebia cognominatur, Stephanus Mazam vocat, Solinus cap. 57. Metropolim Cappadociæ indigitat.

Tiberio) Restitui nomen Tiberij: constat. n. non sub Claudio Cæs. sed sub Tiberio Archelatum literis Liuiæ Romam euocatum, & cum si-

D 2 mula-



mulatione infaniæ, supplicium senatus consulto ipsi decretum, effugisset senectæ & podagra paulo post extinctum, Dio lib. 57. Eutrop. lib. 7.

In prouinciæ speciem) Equitiq̃ue regenda data Dio lib. 57. vide Cornel. Tacitum li. 2. & Iustinian. nouella 30.

Pylemenes) Prius legebatur Philomenes. Vide Eutrop. lib. 4. De Paphlagonia prouincia plura Iustinianus nouella 29.

Falcatis curribus) Lege quæ de hac pugnatione ratione habet Fl. Vegetius lib. 3. cap. 24. vbi huius Antiochi meminit.

Aciem instruxit) Si lego pro destruxit.

Syriarum prouincijs) Syria victo Tigraue à Pompeio stipendiaria facta est, vt Velleius lib. 2.

Cilices & Isauros) De hac re Marcellinus lib. 14. Hæ duæ (Cilicia & Isauria) prouinciæ bello quondam piratico cateruis mixtæ prædonū, à Seruilio procos. missæ sub iugū, factæ sunt vectigales. Et Iustinus li. 40. Creta Ciliciaq̃; piratico bello perdomitæ in formam prouinciæ rediguntur.

Et viam per Taurum) Orosius lib. 5. ca. 23. sic scribit: P. Seruilius Tauri montis latera in Ciliciam vergentia perscrutatus Isauros bello fractos in deditionem redegit, primusq̃; Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit.

Isauricus) Isaura opidum vel arx Ciliciæ, quam



quam expugnauit Seruilius, nomen ei fecit I-  
faurici. Vocata est deinde Claudopolis à Clau-  
dio Cæsare, vt Ammianus lib.14.

Cyprus famosa) Historiam Cypri occupa-  
tæ habent Florus lib.3. cap.9. Strabo lib.14. Plu-  
tarchus in Catone, Velleius lib.2. Dio li.39. me-  
minit Marcellinus lib.14.

Lege lata) à P. Clodio tribuno plebis. Le-  
gis Clodiæ meminit Cicero pro domo sua, pro  
Sextio, de prouincijs consularib. &c.

Rex Cyprius) Ptolemæus, Ptolemæi Lathu-  
ri Aegypti regis filius.

Cyprias opes) Opes Ptolemæi regis fuisse  
talentorum septem millium testatur Plutar-  
chus in Catone Vticensi, quæ cōficiunt 4200000.  
coronat. Budæus li.3. de aſſe, Matth. Hostus li.3.  
rei nummaria.

Cyrenas cum ceteris) Hac de re Ammianus  
lib. 22. sic scribit: Aridam Libyam supremo A-  
pionis regis consecuti sumus arbitrio: Cyrenas  
cum residuis ciuitatibus Libyæ Pentapoleos  
Ptolemæi liberalitate suscepimus. Vide Epit.70.  
Iustin. lib.39. Eutrop. lib.6.

Libyæ Pentapolis) Sic dicta est à quinq; vr-  
bibus quarum nomina sunt, Berenice, Arsinoë,  
Ptolemæis, Apollonia & Cyrene. Plin. lib.5. ca.5.

Oſrhoëni) Sic puto scribendum pro Hirinæ,  
& conuenit Iornandes lib.1.

Vrbs capta est) Nisibis videl. vt Eutrop. li.6.  
Dio li.35. indicant.

D 3

Regis



Regis maioris Armeniæ) Is erat Parthama-  
sires, cui bellum fecit Traianus sub hoc prætex-  
tu, quòd diadema & cetera regni insignia atq;  
iura, non abs se, sed à Parthorum rege, velut il-  
li obnoxius, sumisset: reuera autem cupidine  
magis gloriæ impulsus est. Dion Cassius. Eutro-  
pius tamen Regem Armeniæ Sarmatum nomi-  
nat, & à Traiano occisum scribit lib.8.

Marco & Vero) Mendosè legebatur heic  
Seuero, restitui Vero.

Arfaces Rex Parthorum) Epitoma 70. Plu-  
tarchus in Sulla.

Centum millibus clibanarijs) Hoc in loco  
gemin⁹ error infederat, primò pro centū septē  
scriptum erat: Deinde pro clibanarijs clypeatis.  
Exstat quidē hæc vox apud Virgilium li.7. versu  
793. clypeataq; totis Agmina densantur campis.  
vt & apud Plautum in Curcul. Actu 3. Clypea-  
tus elephantum vbi machera diligit, vbi militē  
clypeo indutum significat, sed hoc loco debet  
legi clibanarijs. Confirmat id Eutropij locus  
lib.6. vbi de Lucullo verba faciens hoc vocabulo  
vtitur. Sunt autem clibanarij Persis equites, qui  
nobis cataphracti, teste Ammiano lib.16. memi-  
nit Modestus lib. de vocabulis rei militaris, me-  
minit Leo Imperator de bellico apparatu ca. 16.  
§. 32. & 35. item Nazarius in Panegyrico Con-  
stantino dicto. De origine nominis sic sentit do-  
ctissimus Turnebus lib.26. cap.34. Aduersarior.  
Cliba-



Clibanarios esse puto equites cataphractos, qui tota specie sic contegantur, ut tanquam panis sic ipsi clibano vndiq; obiecti obductique videbatur. Vide Alexand. ab Alexandro lib. 6. ca. 22. genialiū dierum. Vfos verò esse populos Oriētis hoc equitatu, patet è Strabonis loco li. ii. qui sic habet: Artuasdes Antonio præter alium equitatum, grauis etiam armaturæ (cataphractos) equorum turmam continentem & instructam monstrauit, cum vnà cum eo in Mediam irrupit. Hunc equitatum non Medi modò, & Armeni studiosè tenuerunt, sed Albani etiam, nam & hi cataphractis vtuntur. Hæc ille.

Tigranocertam) Cirram habebant priores æditiones, reposui Tigranocertam: constat enim sic appellatam fuisse metropolin Armeniæ. Ap- pianus in Mithradatico scribit Græcè Tigrano- polin sonare. Dio plurali numero effert lib. 35.

Melitenen) Sic scribo pro Meleten. Est Me- litene regio Armeniæ minoris Ptolemæo & Stra- boni lib. ii. Ammianus lib. 19. Melitinem opidum Armeniæ minoris nominat. Procop. lib. i. de bel- lo Persico Armeniæ metropolin & urbem di- gnissimam appellat.

Nisibin) Librarius indoctus hoc loco Nin- sabium scribserat, quod quid sit, ignoro. Lego, meo iudicio, rectius Nisibin. conuenit cum hac lectione Eutrop. li. 6. P. Diacon. historiæ miscellæ li. 6. Iornand. li. i.



Succesorem) quid successionem accipere?  
& tamen sic legebatur, substitui succesorem, is  
erat Cn. Pompeius Magnus.

Milite suo) Miles hic Gallus fuisse scribitur,  
& nominatur apud Liuium epit. 102. Bithocus,  
autori de viris illustribus, Sithocus: Appianus  
*Βιθιττον* appellat. Reineccius Bithico legendum  
existimat, cum sit Germanicum **Wittich**.

Orode) Sic à Floro lib. 3. cap. 5. Eutrop. lib. 6.  
Orosio libro 6. cap. nominatur. Ab Appiano  
*ὀροδίζης*, à Dione *ὀροδίωνης* appellatur. Ineptè antea  
Orcado legebatur.

Daphnensem lucum) Sic locum hunc resti-  
tui valdè corruptum: legebatur Damnensem  
lacum. Est enim apud Antiochiam suburbium  
Daphnes nomine insigne, adiunctum habens  
nemus deliciosum, cuius meminit Strabo li. 16.  
& lucum ingentem esse dicit, & opacum, aquis  
fontanis irriguum, in cuius medio sit fanum &  
asylum Apollinis, & Dianæ delubrum in quo  
Antiochenes & finitimi festa celebrare consue-  
verint. Luci ambitum Stadiorum 80. esse testa-  
tur. Eodem ferè modo describitur à Procop. lib.  
2. de bello Persico. Hinc Antiochia dicta *Ἐπιδάφνη*,  
*ἐπιδάφνη*, vel Epidaphnes, vt est apud Plin. lib. 5.  
cap. 21. Hic lucus fuit cupressis obsitus, de eo in  
Cod. lib. 11. tit. de cupressis ex luco Daphnensi.  
Ammian. li. 29. amœnū & ambitiosum suburba-  
num nominat.

Ze-



Zeugma) Sic lego pro Zeomaten. Dio li.40.  
Crasso Eufraten apud Zeugma (ita loco isti no-  
men est ab expeditione Alexandri, quod ibi  
trans fluvium profectus est) transeunti, mani-  
festa, ac quæ designarent intelligi facile posset,  
signa euenerunt. Meminit Strabo lib.ii. Zeugma  
Ptolemæo Daciæ vrbs est, quam Althamergus  
**Clausenburg** interpretatur.

Maracho) Hic transfuga apud Florum li. 3.  
cap.ii. Mazara nominatur, & Syrus indigitatur.

Ignotam camporum solitudinem) Strabo  
lib.16. Sinnaca in qua Surena Parthorum Impe-  
rator Crassum dolo captum interfecit.

Syllace & Surena) Hæc nomina ita depra-  
uata erant, vt Silane & Silena legeretur, sed re-  
stitui ex Floro.

Dum petit fugam occisus est) Vide Poly-  
ænum de Stratagematibus lib.7.

C. Cassius) Heic L. Crassus legebatur &  
ineptissimè & mendosissimè: non enim Crassus  
aliquis sed C. Cassius Longinus Parthos in Sy-  
riam, post cladem Crassianam, irrumpentis re-  
iecit: de qua re Dio lib.40. & alij. Totam hanc  
periodum quomodo emendarim, rectiusq; di-  
stinxerim, ex collatione exemplarium priorum  
manifestum erit.

Regis filium) Hic Pacorus dictus fuit, Oro-  
dis primi huius nominis filius, cæsus à Venti-  
dio in Syria Cyrrhestica, vt Dio lib.49.

D 5

Die qua



Die qua Crassus) V. Eid. Iunij, quando Vestalia Romæ celebrabantur, vide Ouid. lib. 6. Fastorum.

C. Cæsar) Heic, in locum Caij, Claudij nomen irrepserat, quod expunxi. C. enim Cæsar, Augusti, ex Iulia filia Agrippæ coniuge, nepos, in Orientem missus est, teste Suetonio Tranquillo, & alijs. Integram historiam habet Florus lib. 4. cap. 12. Velleius Paterculus lib. 2.

Domnes) Sic restitui ex Floro: à Paterculo Adduus nominatur, à Zonara Addo.

In Syriam) Sueton. in Augusto, cap. 65. Caium in Lycia obiisse scribit: cum quo facit Paterculus, qui urbem Lymiram nominat. Lege Dionem lib. 54.

Indorum) Tranquillus in Augusto ca. 21. Eutrop. lib. 6. Messala Corvinus.

Turpissimum Imperatorem) Hinc à Plin. li. 7. cap. 8. hostis humani generis, & lib. 22. cap. 22. terrarum venenum nominatur.

Sub iugo) Erat Romanis, vt & alijs gentibus quoties hostes traditis armis deditionem faciebant, duo tigna recta humi defigere, hisq; tertium transuersum superimponere, & sub eo captiuos transmittere, moxq; dimittere liberos. Hoc ipsi iugum vocabant. Hæc Dionysius Halicarnassæus lib. 3. Festus sic: Iugum, sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: fixis duabus hastis super eas ligabatur tertia: sub ijs victos discin-



discinctos transire cogeant. Et post: sub iugum mitti dicuntur hostes victi, ereptis omnibus armis, telisq; cum hastis defixis duabus in terra, tertiaq; ad summum earum deligata, ipsi eam iubentur subeuntes transire.

Exercitus sacramenta) De his lege Fl. Vegetium lib.2.cap.5.

Iberos) Sic scribo pro Lubros. non enim vlli lectum est, Lubros esse, nedum quod a Romanis victi sint.

Mardomedos) Ita correxi: quid enim Marchomedes? vel vt Eutropius habet Marchomodes? Mardus Ptolemæo est fluuius Mediæ in Caspium mare irrumpens, qui ab Ammiano Marcellino Amardus nuncupatur. Accolæ huius fluminis Mardomedi appellantur.

Anthemusiam) Heic librarius rudis & stupidus ex vna duas fecerat voceis scribēs ante Mulfum, correxi ego, & Anthemusiam scripsi. Est verò Anthemusia Asiæ tractu in Mesopotamia, teste Ptolemæo. Meminit Strabo li.16. Ammian. li.14.

Verus) Antea Seuerus falsò.

Osrhoëne) Osrhoënorum meminit Dio lib. 40. & Herodianus lib.6. & 7. Liber notitiarum etiam Osrhoënæ gentis Asiaticæ mentionem facit, inter Syriam & Mesopotamiam. Procop. lib. 1. de bello Persico Mesopotamiæ partem facit, & ab Osroë, qui hoc in loco regnum tenuerit, nomen manasse affirmat. Iornandes li.1. Osdroënos nominat.

Prope-



Propera morte) Sic lego pro propria morte. Interfectus enim est homo flagitiosus cum imperasset annos 6. menses duos, vixisset 29. De hoc Dio: Caracalla nihil cogitabat boni, quia id non didicerat, quod ipse fatebatur.

Narsen) Sic lego pro Darsen, quamquam & Lampridius & Herodianus lib. 6. hunc regem Artaxerxem nominant, Orosius lib. 7. cap. 18. Xerxem, eum Cassiodorus sequitur. Vbi observandum hoc est, quod nomina Darius & Artaxerxes dignitatis fuerint, eodem nimirum modo, quo Romani appellationes Caesar & Augustus, in usu habuere: patebit hoc tum ex alijs, tum è Marcellino lib. 19. Regum Persicorum seriem vide apud Agathiam lib. 4.

Vlpianum) De Vlpiano eiusq; cæde legatur Lampridius in Alexandro, Zosimus lib. 1. Eusebius & alij.

Tumulum) Eius inscriptionem talem habet Iulius Capitolinus: DIVO GORDIANO, VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPORVM.

Circesio) Sic scribo cum Eutropio, Capitolinus Circeium, Ammian. Cercusium appellat.

Dedecore vitæ consenuit) Nam rex Persæ  
equum



equum conscensurus Valeriani ceruice incuruata pro scabello vti solitus est, ita vt Valerianus regem non manu sed dorso attollere cogebatur. Eutrop. lib. 9. Eusebius lib. 7. cap. 9. Aurelius Victor. Agathias addit viuo Valeriano iussu Saporis cutem detractam, lib. 4.

Odenatus) De Odenato Trebellius Pollio & alij. Procopius lib. 1. de bello Persico Odanathum & regem Palmyrenorum adpellat. Est autem Palmyra vrbs Syriae Ptolemæo teste.

Decurio) Officia & conditionem Decurionum explicat Fl. Vegetius lib. 2. de re militari, ca. 14. Item Modestus de vocabulis rei militaris.

Clibanariorum) Hoc in loco clypeatorum placuit tollere, & substituere clibanariorum.

Emisa) Sic scribo cum Zosimo lib. 1. Fl. Vopiscus Emessam vocat in vita Aurel. priora exemplaria Himas habebant.

Ad inuidiam superni numinis) Respicit hoc loco Festus Rufus ad id, quod à Fl. Vopisco in vita Cari Cæs. refertur his verbis: Plærique dicunt, vim fati quandam esse, vt Rom. princeps Cthesiphontem transire non possit: ideoq; Carum absumptum, quod eos finis transgredi cuperet, qui fataliter constituti sunt. Meminit etiam Pomponius Lætus.

Cochem) Sic lego pro Colcham, & sequor Orosium lib. 7. cap. 24. Eutropius lib. 9. Corchen habet. Intelligitur autem hoc loco Seleucia Babylon-



byloniæ regionis, quæ alio nomine Coche appellata fuit teste Ammiano lib. 24. Strabo li. 16. Solocen prius appellatam scribit, vbi notandū in manu scriptis codicibus Strabonis, monente Isaacio Casaubono, Σόδομη legi pro Σολόκη. Zosimus lib. 3. auctor est antea Menzochasam appellatam.

Limitaneis) Limitanei milites dicuntur, qui sub Limenarcha prouinciæ terminos tuentur, C. de fundis Limitroph. l. agros limitaneos. Sic Riparienses, vel Riparioli, qui fluuiorum ripas obseruarunt, quo verbo recentiores scatent authores.

A veris) Hoc loco autorem hunc corruptū esse, dubium non est, sed quomodò restitui possint omnia, quæ mendosa sunt, vt quod res est fatear, nondum colligere possum. Berna quid sit ignoro, conijcio tamen esse Bezabdem cuius captæ Ammianus meminit lib. 20. quamq; alio nomine Phœnicam appellari scribit. Singaram corruptè, vt & infra, Singarenam scripserunt, vt & pro Amidâ amica. Segarenæ Constantiensis nulla, quod equidem sciam, apud scriptores mentio existat, nisi fortè conijciamus esse Nicephorium, quæ vrbs à Constantino appellari meruit, vt Suidas annotat. Meminit Constantianæ Procopius lib. 1. de bello Persico.

Ter obsessa) Anno Christi 341. duobus mensibus: Anno 350. tribus mensibus: Anno 351. Hieronym. in Chronologia. Alien-



Aliensi) videtur esse Hielia, de qua Marcel-  
linus.

Mixti) quædam exemplaria habent mixta.

Euphratis) Sic scribo pro Parthis.

Eumandeuia) Heic mendum irrepsisse  
non dubito, sed nec coniecturis indulgere volui,  
nec tamen, quomodo emendari locus posset,  
succurrit, relinquo lectoris industriæ, ut hunc &  
alios quosdam locos perplexos & intricatos re-  
stituere conetur: mihiq; veniam det, quod non  
omnia, ut volui quidem, præstare potui, & me-  
mor sit vulgati illius:

*Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra.*

F I N I S.









MESSALAE  
CORVINI,

ORATORIS DISERTISSI-  
mi, ad Octavianum Au-  
gustum,

DE PROGENIE SUA  
LIBELLVS.

Ex recensione  
Henrici Meibomi Lem-  
gouiensis.



HELMÆSTADIÆ.







MESSALAE DE PRO-  
GENIE AVGVSTI LI-  
BELLVS.

**C**um frequenter me digna moueat  
postulatio tua, gentium gloriosif-  
sime Imperator, vt progeniem tuam  
scilicet inclitæ posteritatis, simul &  
urbis Romæ prima regimina ab  
exordio literis distinguere mihi persuadeam:  
parebo clementiæ tuæ, & operam dabo, aliquid  
ingenij, sed parum laboris occupare. Nam quæ  
poscis cum ab historicis, studiosissimisq; veterum  
autoribus longè lateque sint declarata, & te co-  
piosissimè rerum maximarum studijs deditum  
haud ignorem: tamen, quia iubes, opus expedi-  
am, & tuæ vetustissimæ gentis proficiam, quæ  
nunc in amplissimo maiestatis culmine locata  
solum ad sidera spectat, arctato itineris limine  
insistam declarare. Nam quamquam à profun-  
do originis fonte cursus pedetentim subsequen-  
dus foret, accelerare maturabo, serenissime Cæ-  
sar Auguste. Totus terrarum ambitus, quæ vndi-  
que Oceanus verberat vndis, ab historicis & cos-  
mographis trifariè diuiditur, cuius partium pri-  
ma inter Septentrionem & Meridiem ad orien-  
tem extenditur Asia. Secunda ab ostio fluminis  
Tanais, Hircanorumq; finibus, vbi iungitur Afrix  
inter



inter Septentrionalem Oceanum & mediterraneū æquor ad vltimas Hispanias, in occasu terminat Europa. Tertia ab AEgypto Nilog; flumine exordium trahens, relictis terminis Asiæ inter meridiem & mediterraneum fretum producta ad occasum in Atlantici Oceani litore definit Africa. Asia ergo, si ad numerū spectamus, orbis terrarum tertia pars erit: si ad magnitudinem, medium terrarum orbem in se continere videri poterit: sic dicta a nomine cuiusdam mulieris, Orientis reginæ. In ea igitur inter ceteras prouincias, minor Asia est, in qua Phrygia regio sic dicta a Phrygia AEfopi & Europæ filia, & vt alij tradunt, ex Ioue & Europa nata. Dardanum Ioue & Electra Atlantis filia progenitum Deorum monitu ab Italia, & vt alijs placet, è Creta insula patrios deferentē lares multitudīne gentium ad hanc Phrygiam deuenisse ferunt, urbem condidisse, eamq; ex se Dardaniam nuncupasse: vnde gens Dardana, & incolentes terras Dardanidæ dicti. Hoc regnante, de Creta cum manu electissimorum iuuenum fortē noui regni fama concitum Teucrum ad Phrygiam patrijs sedibus expulsum dicitur conuenisse: qui à Dardano & dextera, & fide data, in parte regni consors susceptus est, vt numerosiori populo noua implerentur mœnia. Ita sub duobus regibus haud discrepantibus Dardania potentia & magnitudine



dine aucta, pacificè aliquandiu stetit. Huius  
Teucris in regendo & Rempub. augendo bonitas,  
comitasq; tanta fuit, vt eo defuncto, superstitē  
Dardano, ob ipsius inclitæ memoriæ gloriosissi-  
mum decus, qui Dardanidæ nuncupabantur,  
deinceps Teucris cognominarentur. vt Vergili-  
us Maro.

*Hic genus antiquum Teucris pulcerrima proles.*

Dardanus filium habuit Erichthonium,  
quem post sui obitum regnantē reliquit. Erich-  
thonius Troum genuit, qui iustitia & pietate in-  
signis, mutato Dardaniæ nomine, ex se urbem  
Troiam nominari permisit. Hinc Troianum no-  
men ortum. Duos filios Troum habuit, illum sci-  
licet & Aslaracum. Ille verò, quia maior natus,  
defuncto patre, regnum obtinuit, & intra urbis  
mœnia illam eminentissimam atq; gloriosissi-  
mam arcē edidit, quæ ex sui nomine Iliū nuncu-  
pata: vnde Ilienses Troiani dicti. Is Laomedon-  
tem filium reliquit, quo regnante Iason & Hercu-  
les, validissimorum iuuenum Græcorum comi-  
tatu, cum ad Colchos ob velleris aurei cupidinē  
transfretarent, à maritimo fastidio se recreandi  
gratia in Phrygiā terram legerunt. Quos Lao-  
medon vel superbia, vel famosissimæ gentis ter-  
rore concitus, minaci nuntio extemplò abire  
præcepit. Hi cum aliò contenderent, nec vires,  
ad nec armis existendum haberent, ob illatum



dedecus indignati, excidium austerrimo regi  
continuò minitantes, obtemperauere manda-  
tis: ac perfecto velleris negotio, vbi in Græciam  
rediissent, Hercules Phrygij regis opprobrij non  
immemor, maximorum iuuenum ac principum  
Græcorum manu, armata classe ad Troiam ve-  
la remosq; direxit, & in littore expositis armis,  
ad mœnia impetuosè contendit. Quod vbi sen-  
fisset Laomedon, audacter magis quàm cautè,  
inordinato agmine, extra mœnia hostili impetu  
ausus congredi, insidijs interceptus fortiter di-  
micando extinctus est, suorum parte maxima  
vel capta, vel perempta. Hinc ad exterrita mœ-  
nia Hercules contendens, nullo custode nec in  
muris, nec in portis obstante introit urbem, &  
igne & ferro omnibus consumptis, Hesionam  
Laomedontis sororem Thelamoni Salaminæ  
regi, quia muros Troiæ primus inuaserat, ac in  
portas irruerat, dedit. Ex qua natus est alter  
ille Teucer, qui patria profugus, in Sidonia alte-  
ram Salaminam condidit. De quo Vergilius no-  
ster inducens Didonem effari ad Aeneam:

*Atque equidem memini Teucrum Sidona venire  
Finibus expulsus patrijs, noua regna petentem.*

Ex Laomedonte superstes filius fuit Priamus,  
qui tum fortè aliò in armis aberat. Is & patris  
& patriæ excidio cognito redijt, dirutamq; vr-  
bem impensa & opere adeò reparare institit, vt  
breui marmoreis saxosisq; turribus & ædificijs  
publi-



publicis ac priuatis augustiorem tutioremque redderet. Asiaracus verò, Troi filius, Ili frater, vt suprà memini, genuit Capim: Capis Anchisen, Anchises Aeneam, Aeneas Ilium cognominatum Ascanium, ex Creusa matre natum, qui & Iulus fuit, a quo gens Iulia: vnde tuæ gentis vocabulum trahis serenissime Auguste. vt Vergilius:

*At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.*

*Additur: Ilus erat, dum res stetit Iliæ regno.*

Priamus verò vbi in Græciam postulatum misisset, vt Hesiona soror, quæ à Thelamone turpi seruitio concubina thori tenebatur, in matrimonium duceretur, vel saltèm restitueretur, derisus neutrum obtinuit. Quare Alexander, qui & Paris dictus, Priami filius, manu electissimorum iuuenum in Græciam æquora sulcauit, Helenamq; Menelai regis vxorem Græcarum pulcerrimam rapuit. Quamobrem Græciæ reges armantur, & Agamemnone duce post decennè obsidionem Troiæ mœnia capta, in ruina ac cinere iacuere solo. Hinc Græcorum assensu duo incolumes principum Troianorum recessere, qui auctores pacis & reddendæ Helenæ semper fuerant, & Græcorum legatorū Vlyssis ac Diomedis honoratissimi hospites, Antenor scilicet & Aeneas: quorum alter ex Laomedontis, vel vt quibusdam placet, Priami sorore natus, Asueti viri nobilissimi fuerat filius Antenor: alter ex



regio sanguine ortus Aeneas, ut suprâ demon-  
stratum est. Hi nauium classe parata, & patrijs  
rebus hominibusq; , quos arbitrio sui delege-  
rant, onusta, pansis velis, tenuere altum, & per  
Aegæum Ioniumq; , prætereuntes Argolicas vr-  
bes, suadentibus fati, ad Italiam remigauerant.  
Antenor è Ionio æquore ad dexteram flectens  
inter Dyrrhachium atq; Brundisium, per latif-  
simas superi æquoris fauces ad Septentrionem  
conuersus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos, ac  
Liburnos, illinc Appulos atq; Picenum, ad ca-  
put Adriatici maris cursum tenuit. Et relicto  
æquore, aduerso flumine quod Bretenfia dici-  
tur, sursum contendens, terra potitus, sedem si-  
bi suisq; elegit. Et expugnatis Euganeis, qui  
tum ea incolebant loca, Patauium condidit. Is  
inter cæteros comites Henetorum multitudi-  
nem numerosam secum duxerat, qui Paphlago-  
nia orti, patria pulsî, exsules ad Troiam, quæ bel-  
lo tum elaborabat, concesserant. Hi in pro-  
xima finitimorum prædia longè lateq; diffusi,  
quia multitudine cuncta compleuerant, ex se  
gentibus nomen dedere, & Venetiæ regio dicta.  
De hoc Antenoris aduentu sic meminit Vergi-  
lius:

*Antenor potuit medijs elapsus Achivis  
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutos  
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.  
Vnde per ora nouem Vastæ cum murmure montis*

*It mare*



*It mare praeiunctum, & pelago premit arua sonanti.*

*Hic tamen ille Urbem Patavi, sedesque locavit*

*Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit*

*Troia: nunc placida compositus pace quiescit.*

Hoc loco, Imperator maxime, cum te perlapè  
altiloquio tuo differentem dubitare animaduer-  
tissem, quod insigne vexillis Antenori & Aeneæ  
fuiſſet, ſine quadam rei memoria, haud prætere-  
undum arbitror. Sed cum Vergilio noſtro in-  
ſtandum, ubi de Antenore ſic profatur, *Et genti*  
*nomen dedit*, id eſt, utramq; gentem, Italicos ſcili-  
cet & Phrygios, qui ea incoluerunt loca, Troia-  
nos, vel ut alij tradunt, Antenoridas cognomi-  
nari ſtatuit: *armaque fixit*, hoc eſt, in templis ar-  
ma, & inſigne armorum ſuspendit. Nam poſt ex-  
actam militiam, laboresque militiæ, mos anti-  
quitus fuit, in decorum templis ſuspendere arma.  
Ideò *arma fixit Troia*. Troia fuit inter arma tem-  
plis affixa, armorum inſigne: quod nonnulli af-  
ferunt. Troia namq; vulgò Italicè Latinèq; ſcro-  
pha vel ſus dicitur: Cui vocabulo licentia ſui al-  
luſit Poëta: quod animal, quia eius nomen vrbi  
Troia congruebat, aureo vexillo inſigne armo-  
rum ſtatuit Antenor, abſumptæ vrbis Troia  
memoria. Verum in geſtis Aeneæ, alia euiden-  
tior ratio, cur ita videri poterit: quare progredi-  
or. Aeneas eodem itinere per Græcorum Achai  
cumq; fretum delatus, in Epiro reuiſit Hele-  
num inter Argolicas vrbes dominiſque ditionem



tenentem. Narrat historia, Pyrrhum, Achillis filium, deleta Troia, Andromachen Hectoris quondam vxorem, & Helenum Priami filium seruitio secum duxisse. Inde cum sibi matrimonio iungeret Hermionem Menelai filiam, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfectus, quia sine prole interiit, in regno praesidem reliquit Helenum, vt ibidem Maro, vbi de se Aeneas ad Didonem profatur:

*Iuvat euasisse tot Vrbes*

*Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.*

*Et paulo post.*

*Hic incredibilis rerum fama occupat aures,*

*Priamiden Helenum Graias regnare per Vrbes,*

*Et patre Andromachen iterum cessisse marito.*

Is Helenus Aeneae futura praedicens, monitus interpres deorum profatus fuerat, ibi locum sedis eius fore quietis, vbi in Italiam iuxta Tybridis ripas scropham seu suam triginta natorum foetu iacentem videret, vt Maro in tertio ad Aeneam locutus Helenus:

*Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.*

*Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam*

*Littoreis ingens inuenta sub silicibus sus*

*Triginta capitem foetus enixa iacebit:*

*Is locus Urbis erit, requies ea certa laborum.*

Aeneas hinc discedens, & extrema Italiae radens circumuectum per Siciliam senem Anchisen patrem amisit. Inde per inferum mare diu fluctibus ex iniquo sydere vexatus, Afrum  
tenu-



tenuit littus. Mox pacato æquore ad Italiam  
reuectus, appulit Tyberis ostio. Ibi tunc tem-  
poris Latinus rex Fauni filius gentibus impe-  
ritabat, qui ad rei nouæ tumultum excitus, vt  
Tito Liui placet, in armis obuiam perguit. In-  
de colloquio vtrunque pacatis animis, duci Tro-  
iano filiam, quam Turno Rutulorum regi pri-  
mo desponsarat matrimonio iungit Lauiniam.  
Aeneas conditum oppidum ex vxoris nomine  
Lauiniū appellat. At Vergilius noster hac in par-  
te aliter sentit, id est, Latinum non in armis ob-  
uiam processisse, sed Aeneam legatos regi mi-  
sisse: quibus auditis rex pacatus, & monitis de-  
orum adductus, Lauiniam filiam aduenæ Troia-  
no tradit. Quamobrem Turnus impatiens op-  
probrij ereptæ coniugis, bello petit Aeneam,  
nec vetante, nec permittente Latino. Aeneas vt  
vires & arma in hostem externo robore firma-  
ret, ad Euandrum, qui tum his oris, vbi nunc  
Roma, autoritate ditionem tenebat, sursum  
aduerso flumine pergens, auxiliij exposcendi  
gratia, suem, id est scropham triginta natorum  
foetu, vt Helenus prædixerat, iacentem aduer-  
tit, quietæ sedis certissimum omen, quam Iu-  
noni deorum reginæ immolando sacravit, vt  
Vergilius in octauo:

*Ecce autem subito atque oculis mirabile monstrum*

*Procubuit, viridique in littore conspicitur fœs.*

*Quam pius Aeneas, tibi enim tibi maxima Iuno,*

*Mactat*



*Maerat sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.*

Eodem Aeneam Lauinium oppidum struxisse aiunt, simul & hinc scrophæ signum Troianis ortum quidam tradidere, seu ob iniecti fundamenti regiae sedis memoriam, seu quia quietis genti scrophæ signum dederat, seu ob æternum insigne nominis Troiæ, quæ huic vocabulo animalis vulgò Italicè includitur, vt supra meminimus. Præterea & nonnulli referunt historici, Aeneam more nauigantium inter cætera animalia ad vsum vescendi, vt fit, suam viam secum detulisse, ac ex oraculo responsum habuisse, cum teneret Italiam, dimitteret eam. Inde quò reperta foret, sedi eius conderet urbem: quam in Campaniæ oris apud Auernum lacum Baiarumq; fines demissam volunt, mox supra Tybridis ripam. Quare elatum scrophæ vexillum, quocirca Helenus ad Aeneam in 3 Verg.

*Vade age & ingentem factu fer ad æthera Troia,*  
id est, insigne Troianum. At cum hac in parte te dubitare, serenissime Principum, crebrò percepissem, & in ambiguitate rei huius multos vagari, tulit calamus prolixius & à proposito longius quàm exposceret intentio. Quis enim rem tot seculis remotissimam scrutaturus per vetustissima literarum volumina sine ambiguitate euadere potuit. Sed ad propositū redeundum. Ad Euandrum concessit Aeneas, & optato potitus, Pallantem Euandri filium & ingentis ro-



is roboris armatorum auxilia secum duxerat.  
Turnus post aliqua praelia clarissima, uictus  
tandem ac peremptus Troiano cesit. Victor  
Aeneas post Latini obitum in regno succedit,  
quem mortuum, & super Numicij fluminis ri-  
pam conditum, indigetem Iouem dixere, ex-  
pleto anno tertio regni. Superfuit Ascanius e-  
ius filius, Troiae ex Creusa natus. Is Lauinium  
oppidum nouercae Lauinae & Sylui ex Lauinia  
fratri relinquens, haud inde longè in Albano  
colle condidit Albam: intra Lauinium & Al-  
bam conditam triginta annorum spatium da-  
tur. Absumpto Ascanio frater eius Syluius, qui  
& Iulus, à quo gens Iulia, & antiquum tuæ ge-  
nerosæ prolis deriuatum cognomen Auguste,  
regnat: quamquam inter auctores veterum in  
ambiguo constet, utrum hunc Syluium an Asca-  
nium cognominatum fuisse Iulum. Is Syluius  
post obitum patris ex Lauinia Italiae natus, Po-  
stumus dictus, quem Lauinia pragnans priui-  
gnum timens Ascanium, secedens in quadam syl-  
ua apud Tityrum pastorem peperit, unde Sylui-  
us nuncupatus, ut Maro inducens Anchisen o-  
stentantem suorum progeniem Aeneae:

*Ille Vides pura iuuenis qui nititur hasta,  
Proxima sorte tener lucis loca, primus ad antras,  
Aethereas Italo commistus sanguine surget,  
Syluius Albanum nomen tua postuma proles,  
Quem tibi longae serum Lauinia coniunx  
Educat sylus regem, regumque parentem,*

*Vnde*



*Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.*

Hic Syluius Syluium Aeneam filium reliquit, ex quo Latinus filius, a quo prisci Latini cepere nomen, & Syluium cognomen Albæ regnantibus datum, vt quidam tradiere: quamquam Vergilius hoc cognomen regibus Albanis a Syluiio postumo deriuatum sentire videatur. Genuit hic Syluius Albam, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetum, Capetus Tyberinū, qui in Albula flumine demersus, mutauit fluuii nomen, Tyberi deinceps nuncupato. Ex Tyberino superfuit Agrippa, ex quo Romulus Syluius, qui sine prole fulmine ictus stirpis eiusdem Auentinum in regno reliquit. Is decedens, in quo sepultus fuerat, colli nomen dedit. Huic successit Proca: quo defuncto, duo eius filij Numitor & Amulius superstites fuere: quorum alter Amulius Numitorem maiorem è solio fratrem deiecit: cuius virili prole interempta, filiam Rheam Syluiam vt partum auerteret vestalem virginem sacrat. Rhea geminos edidit, Remum scilicet & Romulum, à Marte compressa, vt traditur. Quod regi Amulio notum, in vincla tradita matre, regio edicto in Tybridis alueo exponuntur gemini. Fama est in lupam geminos labentem regium pastorem Faustulum casu quodam incidisse, qui vxori Laurentiæ nutriendos dedit. Iam adulti iuuenes, corpo.



corporis & animi vires adepti, per sylvas ac nemora non modò infestare feras, sed & finitimis pastoribus dominari occæperant. Tandem insidijs Remus interceptus, vt prædæ reus ad Amulium ducitur: inde quia cum fratre Romulo in agrum Numitoris impetum fecisse dicebatur, ad pœnas supplicij materno auo traditur: à quo mox & ipsi nepotes præsidio pastorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant, & restitunt Numitori regnum. Hunc scito, Cæsar Auguste, gentis Iuliæ Albanorum regum vltimum, eamq; gentem ad Iulium vsq; Cæsarem, teq; principum decus, sine imperio priuatæ, in tuæ felicitatis tempora terminasse. Namq; Romulum Romanæ vrbis imperijq; tui conditorem, materna linea incognito patre ortum, tuæ stirpis non censeo, si maiorum genealogiam rectè complector. At nunc ad Reges Romanos, consules, dictatores, tribunos militares, ac plebeios subsequenter calamum deducam, vt ab origine ad tua felicissima secula Romana regimina noscas. Igitur Palatino in monte, vbi adulti & à pastoribus culti gemini erant, auspicatò parua mœnia ponunt, & vbi alter alterum non patitur, cui regnandum augurio permittunt. Qua contentione interfectum Remum describere quidā: aliter alij, quia fertur incepta mœnia contra edictum transsiluisse, Remum à Romulo,



mulo, cui regnare obtigerat, securi percussum,  
& à nomine conditoris urbem Romam nuncu-  
patam. Ferunt anno vigesimo secundo ætatis,  
vndecimo calend: Maias, quadringentesimo tri-  
cesimo tertio post captam Troiam, Romulum  
urbis fundameta iecisse. Qui primò constitutis  
sacris, legum iura sanxit, fecit & se regijs insi-  
gnibus augustiorē, circa se lictores instituit, asy-  
lum aperuit complendæ urbis gratia: centum  
Senatores creauit, quos patres auctoritate nun-  
cupauit Reip. consiliū: equestri Neptuno ludos  
finitimis gentibus indicauit. circumstantes po-  
puli cum familijs ad urbem, velut ad rem no-  
uam simul & ludos conueniunt. Tum ad specta-  
cula intentis aduenis, raptæ virgines Sabino-  
rum, ceterarumq; turba, & in matrimonium ab-  
ductæ. Raptarum parentes ad ultionem illati  
dedecoris arma parant, hinc plæraq; bella orta:  
Cæninenses, qui primum in agrum Romanum  
impetum fecerant, victi sunt, Acrone eorum re-  
ge à Romulo obtruncato, cuius opima spolia in  
Capitolium ad quercum pastoribus sacram rex  
ipse Romanis suspendit, ibiq; Ioui Feretrio tem-  
plum statuit, quod primum Romæ sacratum fu-  
it, & de Cæninensibus primum triumphum e-  
git, vt quibusdam placet scriptoribus. Antem-  
nates exinde populandi gratia hostiliter aduen-  
tarunt, qui à Romulo victi in urbem ducuntur.

Hinc



Hinc aduersus Crustuminoſ ſubſequenter tumultuantes, in armis Romulus profectus, ſuperatos hoſtes Romæ cohabitare coërcuit. Cū Sabiniſ vltima & acrior pugna fuit: nam ab hiſ Tito Tatío duce Capitolij arce capta, mox virtute Romuli recuperata, interuentu raptarum miſerando fletu implorantium, pacatiſ vtrinq; animiſ pax fit, & ex duobuſ regniſ vnũ: namq; Sabini eorũ imperium Romam traducunt, & ſub duobuſ regibuſ Romulo & Tito Tatío comune dominium per aliquot annos fuit. ſed primò Tatius moritur à Laurentibuſ interfectuſ, anno quinto poſtquam Romæ regnare cæperat. Superfuit Romulus, qui demum victiſ Fidenatibuſ ac Veientibuſ, ad Capræ paludem concione habita, ſubito turbine & imbre, lumine ſoliſ adẽpto, inter fulgura obſtrepentia cœli ereptuſ nuſquam apparuit, poſtquam triginta & ſeptem regnauerat anniſ. Numa exinde Pompiliuſ è Sabiniſ ortuſ, vir pietate & iuſtitia inſignis, ſecunduſ à Romulo regnat, & pacatiſ finitimorum odiſ gemini Iani templum ædidiſ, quod apertuſ bella, clauſuſ quietem indicaret. Mox ad religionem conuerſuſ, vt deorum timor ad mitiora truceſ fleſteret animoſ, ſacra inſtituit, ſacerdoteſ creat, virgineſ Veſtaleſ ſacrat, pontificem maximum primuſ declarat, dieſ faſtoſ neſtoſq; condidiſ, annuſ in duodecim meſeſ diuiſiſ. Poſtremò vbi maxima cum reuerentia & ſuorum

F

ſuorum



suorum & finitimorum tres & quadraginta regnasset annos, obiit. Tullus Hostilius exinde rex tertius creatur, ad bella promptissimus, animosior Romulo, cum Albanis armorum negotium habuit, sed paucorum cruore ac fortuna finitum. Nam trigeminis Horatijs Romanorum, & trigeminis Curiatijs Albanorum res hoc fœdere committitur, ut ciuitas pro qua pugnarent, qui vicissent, alteri imperaret. Vicerunt Horatij, Albani sub imperio Romano fuere. Fidenates ac Veientes proinde in agrum Romanum impetum faciunt, quibus victis ac fugatis, Metium Albanorum dictatorem, quia ex fœdere in armis accitus, proditor rem Romanam maximo in discrimine absentando deseruerat, Tullus quadrigis in diuersum actis alligatum discerpi, Albamq; dirui, ac omnes Albanos Romanam deuehi iussit. Caelium montem intra mœnia clausit, numero & potentia crescente Roma. Cum Sabinis, qui patrijs in sedibus T. Tatij tempore inuaserant, bellum graue gessit, hostemq; vicit. Demum fulminis ictu cum tota domo absumptus, anno regni trigesimo secundo interiit. Ancus Martius Tullo successit, vir pace & bello clarissimus, ad arma & religionē paratus, ad sacra primū & templa condenda ornandaq; animum flexit. Mox cum res postularet, à sacris ad arma concitus, aduersus Latinos,



nos, qui primò in eum mouerant bella, se con-  
tulit, & Politorium vnicum Latinorum præsi-  
dium expugnat ac diruit, omnesq; in oppido  
reptos, Romæ cohabitandos destinat. Ianicu-  
lum collem vrbi adiecit, pontem Sublicium su-  
pra Tyberim fecit: tum Quiritum fossa per pla-  
na deducta, carcerem primus struxit: vsq; ad  
mare dilatati fines, vt Tybris in æquora pro-  
rumpit, Hostia vrbs condita, & Salinæ circum-  
latæ, Feretrii Iouis templum ampliatur. De-  
cessit Ancus anno regni vigesimo quarto. Pri-  
scus Tarquinius à Tarquinijs Hetruriæ profe-  
ctus exinde regnum occupat: cum Latinis is  
primum bellum habuit, & Appiola vrbe expu-  
gnata, ingenti præda victor redijt, ludos insti-  
tuit, Circum erexit, aduersus Gabinos centuri-  
as auxit, quibus industria ac viribus superatis,  
arma cruenta hostium in Anienem flumen eij-  
cere fecit: quæ ex Aniene in Tyberim deuecta  
summæ victoriæ nuncium Romæ detulere. Ite-  
rum eisdem hostibus secundo prælio attritis,  
Collatiam oppidum sui iuris fecit, Romam re-  
gressus insigni gloria primus triumphat, vt qui-  
dam volunt: cum priscis Latinis bello orto pu-  
gnauit, quibus deuictis, pacem dedit, vi & ar-  
mis oppidis captis, Corniculo, Ficulnea, Ca-  
meria, Crustumero, Ameriola, Medullia, &  
Nomento. Demum ad ædificia publica inten-



tus, muro lateritio circuit urbem, valles inter-  
iacentes collibus, cæteraq; loca limosa, & for-  
dibus repleta cloacis vacuat. In Capitolio Iouis  
ardem grande opus incæptarat: tum interfectus  
à duobus Anci filiis, obiit anno regni tricesimo  
septimo. Seruius Tullius post hunc rex declara-  
tur, ex captiua & nobili fœmina à Corniculo  
oppido grauida educta, in domo Tarquiniij na-  
tus & adultus, cum Veientibus & Hetruscis  
primum bellum sumit: quibus fortissimè vi-  
ctis, insignis gloriâ victor redijt. Censum pri-  
mus instituit, quo & paci & bello oportuna re-  
dimerentur, In classes centuriasq; populum di-  
uisit. Domi paci tranquillæ, & foris in armis  
quod necesse fuerat, solertissima statuit indu-  
stria. Ciues omnes, pedites, equitesq;, qui ar-  
ma ferre possent, in campum Martium conue-  
nire edicto iussit, ibiq; exercitum instructum  
ordine, porco, oue & tauro lustrat. Inde ad po-  
steros Lustrum nuncupatum, quò octoginta  
millia ciuium censa referuntur. Duo colles vrbi  
tum additi, Viminalis & Quirinalis, & Exqui-  
liæ, vbi ipse regiam habuit: aggere, fossa, & mu-  
ro, quæ vrbi adiecerat, circumclusit. Dianæ  
templum condidit. Postremo à Lucio Tarqui-  
nio Prisci Tarquiniij filio, & genero suo anno re-  
gni trigesimo quarto in vico Cyprio obtrunca-  
tur. Tarquinius inde regnum inuadit, qui male  
partum



partum imperium ita contumaciter rexit, vt  
cognomen superbo sibi vendicaret, in patres ac  
senatum sæuiens, iniussu populi ad libitum o-  
mnia agere cœpit, occidere, carcerare, afficere  
supplicio, sui iuris fecit. Cum Volscis bellum ha-  
buit, quibus expugnatis, oppida Sueffam & Po-  
metiam eripuit, fraude & non bello, Gabios  
subiugauit, & cruciatibus attriuit. Cum Equi-  
colis & Hetruscis fœdera tenuit. Iouis templū,  
quod in Capitolio pater inceptauerat, maximo  
impedimento ac labore ad culmen erexit. De-  
mum ob Lucretiæ per vim illati stupri dedecus  
à Sexto Tarquinio eius filio, Iunij Bruti opera  
pulsus, in exulatum cum scelestâ coniuge ac fi-  
lijs fuga perrexit, anno regni trigesimo quinto.  
Ab vrbe verò condita ducentesimo quadragesi-  
mo quarto, depulsis regibus, sub consulibus an-  
nuo imperio iura Romana fuere. Senatus vt so-  
lidum corpus immutabile erat. Consules velut  
membra, senatus consilium & rerum delibera-  
tio, consules ad consulta peragenda parati. Di-  
ctatoris imperium, quod cæteros magistratus  
excedebat, ad terrorem cunctorum tum cū res  
Romana in extremis periculis nutare cernere-  
tur, creabatur, summæ potentiae vnicum robur.  
Inde ob truculentissimas inter patritios ac ple-  
beios seditiones, plebs armata maximo cū ter-  
rore nobilium in Auentinum, & vt alijs placet,



in Sacrum collem secesserat, nec inde abduci potuit, donec ad fauorē sui, tribuni plebeiij primum crearentur. Mox ad decemuiros res venit: nam Decemuiros creari placuit, qui sine alio magistratu annuo imperio Reipub. præsident. Anno ab vrbe condita vno & trecentesimo, hoc imperium in Appio Claudio atrocissimi ingenij viro desinere voluit, eiusdem obstinata perfidia, ob cuius scelestæ libidinis nefas violandæ Virgineæ virginis pudicissimæ, se abdicare magistratu Decemviri coacti sunt. Tum ad consules res redierat: Verum paulò post Tribunis plebis auctoribus, seditione vt aliàs orta, inter cætera obtinuerunt plebeiij, vt & tribunos militares haberent, sicut & plebeios. Sed hi promiscuè, vel patritij vel plebeiij esse poterant, qui aliquādo consulare gessere imperium. Sed demum consules regnum obtinuerunt, quorum fasces adusq; Iulij Cæsaris patris patruiq; tui principatū defluxerunt, expletis ab vrbe condita annis septingentis decem. Sub quorum magistratuum, consulum, dictatorum, & tribunorum militarium ductu, per quadringentos quadraginta & septē annos omnis Italia viribus armorū subacta est, simul & Alpes Cottiae, Poeninae, & Graiae, atque Romanæ cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis in ditionem conuenere. Africa ter victa, primo & secundo & tertio bello Punico, inestimabili



mabili vulnere vtrinq; accepto. Romano impe-  
rio tandē parta Sicilia, Sardinia, Baleares, Cre-  
ta, insulæ obtentæ. Numidia victo Iugurtha in  
potestatem redacta. Hispania genus armorum  
ferox nostrorum, nec sine Romano cruore sub-  
iugauere arma. Celtiberi, Cantabri, Astures,  
Lusitani, Numantia, omnisq; Callæcia flexêre  
cervicem. Gallia atq; Britannia nouem annorū  
Iulij Cæsaris labor fuere, tributariæ demum fa-  
ctæ. Post hæc Illyria, Istria, Liburni, & Dalma-  
tæ obsecundauere perdomiti. Proinde in Græ-  
ciā transitus fuit: qua perdomita, Epirus, Thef-  
salia, & Achaia paruere mandatis. Ter Macedo-  
nia cum regibus suis debellata, & in prouinciæ  
formam demum redacta. Thraces sæuissimos  
omnium, Propontidem, & Thracium Bosphorū  
cum ipso Byzantio virtus Romana superatos  
reddidit. Hinc ad Danubium Rhenumq; tuis  
auspicijs victoriosissime principum penetratū,  
& vtriusq; fluminis vtramq; ripā tuæ industriæ  
subiugauere vires. Duæ Germaniæ, inferior ac  
superior tibi vnico cessere. Norici, Pannonij,  
Sueui, Marcomanni, Daci, Mæsi, cæteræq; na-  
tiones ad Arcton superatæ, Europa in extremis  
finium suorū per re vndiq; exterrita & armis cō-  
cussa. In Asiam iam antē peruentum fuerat, &  
victo Antiocho potentissimo Syriæ rege, victo  
Mithradate, Syria, Phœnix, Ctesiphon, Baby-  
lonia,



lonia, Iudæa, Palæstina, Arabia, Cilicia, & omne  
Ponti regnum cū ipsa minore Asia, in qua Phry-  
gia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Isauria &  
Cappadocia regiones continentur, mandatis  
obtemperauere. Cessit & vrraq; Armenia armis  
attrita. Mesopotamia inter Tigridē & Euphra-  
tem, sanguine Parthorum ac Persarum crebrò  
cruenta multiplici bello, demum Ro. paruit. Di-  
uersis temporibus cum Persis & Parthis assiduè  
pugnatum, & vtrinq; cladibus acceptis, Ro. su-  
perior fuit, & obstantibus imperauit. Ad Arcton  
Colchi, Iberi, Albani, Scythæ, Afsyrij, Caspij,  
cum Amazonibus suis ductu nostrorum ducum  
subiugati sunt: Aegyptiorum regis vltro in a-  
micitia & fœdere steterunt. Cyrene ac tota Li-  
bya & Mauritaniæ extincto Iuba obsequentes  
fuere. Indi ex ipso extremo Oriente postremò  
ad te gloriosissime principum in extremo occi-  
dente tūc bella gerentem legationem misere,  
ad obsequia se paratos profitentes, vt non nihil  
te imperante haud superesset indomitum.

Aeternum vale tui seculi perenne  
ac immortale decus Cæ-  
sar Auguste.



F I N I S.







f

22



AB: 37  $\frac{5}{127}$

ULB Halle

3


004 078 268











FESTI RVFI  
VIRI CONSV-  
LARIS, AD VALENTI-  
NIANVM AVGVSTVM  
de Historia Romano-  
rum libellus:

Henricus Meibomius Iulæ  
Academiae Professor recensuit, &  
notis illustravit.



Joannes Werthoff



HELMÆSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius. Anno  
CIC ID XXCIIIX.

